De scholiis veteribus in Aves Aristophanis compositis.

Dissertatio

quam

ad summos in philosophia honores

ab amplissimo philosophorum ordine

in academia regia Christiana-Albertina Kiliensi

impetrandos conscripsit

et una cum sententiis controversis

die XXVIII. mensis Iulii a. MDCCCLXXXI. hora XII.

defendet

Fridericus Clausen,

Vossbergensis.

Kiliae.

Ex officina C. F. Mohr (P. Peters).

1881.

Imprimatur:
Dr. Backhaus
h. t. decanus.

Praefatio.

Multa iam viri docti de scholiis in Aristophanis fabulas compositis et diligenter et accurate disseruerunt. Imprimis vero O. Schneiderus in ea operam studiumque contulit libro, qui inscribitur: De veterum in Aristophanem scholiorum fontibus. Sundiae 1838. Quo libro id potissimum agit vir doctus, ut fontem reperiat, ex quo scholiorum nostrorum compositores veteres annotationes Alexandrinorum petiverint. Negat enim complures veteres commentarios in manibus eorum fuisse. Ex uno commentario eos omnia hausisse atque hunc fuisse commentarium Symmachi Sed hoc, quamquam summa sagacitate rem egit Schneiderus, tamen doctius quam verius dixisse videtur, neque cuiquam, quantum equidem video, adhuc hoc persuasit. Multa et ea gravissima Dindorfius in Praefatione Editionis scholiorum et Bernhardyus in Historia Litterarum Graecarum contra disputarunt. Quibus nihil habeo, quod addam. Itaque mea quoque sententia de origine scholiorum nihil pro certo dicere possumus nisi hoc: Multa, quae sunt in scholiis nostris, interpretibus Alexandrinis debemus multa additamenta sunt Graeculorum medii aevi. Illa autem vetustiora scholiorum compositores plerumque non ex ipsis Alexandrinorum commentariis petiverunt, sed e libellis Symmachi, Phaini, Euphronii aliorumque, qui illos commentarios gravissima quaeque eligentes in angustiorem ambitum contraxerant et sua ubique addiderant[1]).

---

[1]) Cfr. Dindorfii Praefationem in Duebneri Editione scholiorum Parisiis 1877. Pag. 6—8.

Quae cum ita sint, suum cuique attribuere iam non possumus, nisi forte, id quod rarissime fit, ipsum auctoris nomen ascriptum est. Duo tantum indicia restant, quibus adiuti cum quadam probabilitatis specie interdum recentissima additamenta a ceteris seiungere possumus. Vetustiora enim, quippe quae a viris summa doctrina scripta sint, sententiarum quidem praestantia excellunt, sed cum iterum atque iterum contracta sint et per manus plurimorum scriptorum tradita, brevia sunt plerumque, mutilata et scripturae mendis quam maxime depravata. Ea rursus, quae recentiores adiecerunt, levia et inania sunt, sed verbose enarrantur et scripturae integritate eminent, ut facile intelligantur. Eiusmodi sunt, ut exemplum afferam, ea, quae in schol. Av. v. 212 de Tereo et Procne verbose explicantur. Alterum indicium hoc est: Sunt quaedam res, de quibus, cum plurimis locis Aristophanes eas attingat, iterum atque iterum in scholiis agitur, De his igitur rebus quae dicunt scholiastae, si in omnibus scholiis iisdem fere verbis enarrantur, ea scholiorum compositores apparet ex eodem fonte petivisse itaque ea in vetustiore commentario scripta fuisse. Eiusmodi sunt, quae de origine vocis Ἡλιαία in scholl. Vesp. v. 88, v. 772, Equit. v. 255, Av. v. 109, Nub. v. 862 etc., deinde de mercede iudiciali in scholl. Ran. v. 140, Vesp. v, 300. v. 88, v. 684, Av. v, 1541, Nub. v. 862, Equit. v. 51 etc. miro verborum consensu afferuntur. Sed si ad haec in uno scholio quid additur, quod non est in ceteris, id tibi persuasum habeas recentissimum additamentum esse. Huius rei exemplum inest in schol. Ran. V. 140. Nam postquam de mercede duorum vel trium obolorum iudiciali expositum est, quod in omnibus scholiis, quae commemoravi, iisdem fere verbis repetitur, in extrema parte huius scholii hoc inepte additur: Ἐπὶ δὲ Ἀριστοφάνους καὶ δραχμὴν ἦν λαβεῖν.

Sed eiusmodi quaestiones de origine scholiorum habitae difficiles esse videntur et plus laboris quam fructus habent. Quam ob rem neglecta scholiorum origine unius fabulae scholiis in quaestionem vocatis ita rem instituam, ut similia componam itaque demonstrare studeam, in singulis interpretationis partibus quid perfecerint, quanta fides iis habenda sit. Hoc modo spero me aliquid effecturum esse, ut iam rectius de scholiis iudicemus neve iis nimis aut confidamus aut diffidamus. Deinde etiam multos fabulae locos apparet hac in

quaestione esse explicandos et res, quae pertineant ad historiam aut rerum aut litterarum Graecarum. Fortasse etiam de his rebus nonnulla quamvis parva evenient, quae digna sunt, quae legantur. Itaque multa, quae seiuncta levia sunt, si in unum convenient, si diis placet, aliquid valebunt.

Scripsi Kiliae VI. Id. Febr. 1881.

FRIEDR. CLAUSEN.

Pars I.

De scholiastarum ingenii acumine.

§ 1.

De scholiastarum studiis criticis.

Duo potissimum sunt, quae cuiusvis veteris scriptoris interpreti inesse debent, primum ingenii acumen, tum rerum scientia. Neque enim is, qui est acutissimus quidem, sed memoria non omnia tenet, quae scriptor legentibus vel audientibus nota esse voluit, evadet interpres perfectus neque is, qui quamvis sit omnium illarum rerum cognitione praeditus, tamen mentis acie caret. Quam ob rem in Aristophanis fabularum interpretes inquirenti haec duo respicienda sunt, et quanto mentis acumine rem egerint et quibus doctrinae auxiliis exstructi fuerint. Itaque quaestionem mihi propositam ita instituam, ut primo loco omissis omnibus rebus, quas e doctrinae thesauro depromptas adiecerint, id tantum agam, quanta sagacitate, quid quoque loco poëta voluerit, e verborum ac sententiarum contextu enuclearint. Qua quaestione quoniam in libello tam exigui ambitus non omnia possum exponere, minutis rebus omissis graviora tantum in medium proponam. Ac primum quidem in arte critica quales fuerint, demonstrare conabor, cum id vel imprimis interpretis sit et e lectionibus diversis diligenter collectis et inter se collatis eam eligere, quae sit veri simillima, et verba corrupta, quae aut omnino sensu careant aut in sententiarum contextum non quadrent, in genuinam redigere formam. Quo munere quamquam satis multis locis functi sunt, tamen ita sunt functi, ut nihil fere memoratu dignum perfecerint. Nam ut ab iis variis lectionibus

incipiam, qui librariorum erroribus potius quam interpretum coniecturis deberi videntur, eas his locis annotarunt. Schol v. 19; *Τινὲς διὰ τοῦ ι ἴστην* (leg. *ᾖστην*. Porson.) *ἀντὶ τοῦ ᾔδεσαν. τουτέστιν οὐδὲν ᾔδεσαν ἔξω τοῦ δάκνειν. ἢ ἀντὶ τοῦ ἦσαν. τουτέστιν οὐδὲν ἄλλο ἦσαν ἢ δάκνειν*; i. e. Alii legi volunt *ᾖστην* derivatum ab *οἶδα*, alii *ἤστην* derivatum ab *εἰμί*. — Schol. v. 23:[1]) *Τινὲς δὲ γράφουσιν, οὐδὲ ἡ κορώνη*. — Schol. v. 348: *Γράφεται καὶ ῥάμφει, ὅπερ βέλτιον. ῥάμφος γὰρ ἐπὶ ὀρνέου. ἐπὶ δὲ χοίρου ῥύγχος*. — Schol. v. 645: *Γράφεται καὶ Θρίηθεν*. Schol. v. 417: *Γράφεται καὶ δίχα τοῦ ι* [i. e. *ὅρα*], *ἵνα ᾖ προστακτικόν. γράφεται δὲ καὶ μετὰ τοῦ ι* [i. e. *ὁρᾷ*], *ἵνα ᾖ ἐρωτηματικόν*. — Schol. v. 1508: *Ἐν τοῖς Ἀτταλίοις εὗρον σκιάδιον καὶ ἐν τῷ παλαιῷ τῷ ἐμῷ*. — Schol. v. 1480: *Ὅτι ἔν τισι τὰ δύο κῶλα ἕν ἐστι, λέγω ἀπὸ „τοῦτο δὲ χειμῶνος" ἕως τοῦ „φυλλορροεῖ"*. — Schol. v. 809: *Ἔν τισιν ὅλον ἕν, ἐν ἐνίοις δὲ τὸ „ἄγε δή" τοῦ ἔποπος*. Quas annotationes videmus cum raras esse tum nullius fere pretii. Ita enim lectiones afferuntur, ut nullo fere loco diiudicetur, quae lectio praeferenda sit, quamquam hoc plurimis locis facillime fieri potest, velut v. 417, ubi lectio *ὅρα* nulla ratione potest explicari, vel v. 809, ubi illud *ἄγε δή* upupae tribuere eam ob causam perversum est, quod post parabaseos versus 676—800 upupae iam nullo loco fit mentio. Neque ad v. 348 quod avis rostrum *ῥάμφος*, suis *ῥύγχος* appellari statuunt, recte sese habet, cum avis rostrum *ῥύγχος* appellatum saepius inveniatur [2]). Quam ob rem maxime probabile est, quod de eiusmodi scholiis Dindorfius [3]) statuit; „De scripturae diversitate quae annotata videmus, maximam partem ad librariorum spectant errores uno alterove in codice repertos et tum demum addita videntur, quum scholia ex diversis codicibus collecta in unum corpus redigerentur". Sunt vero alia scholia, quae codicum scriptura in suspicionem vocata coniecturas aperte afferunt, velut ad v. 1562 sqq: *Κᾆτ' ἀνῆλθ' αὐτῷ κάτωθεν πρὸς τὸ λαῖμα τῆς καμήλου Χαιρεφῶν ἡ νυκτερίς*, ubi illud *λαῖμα* aut nihil est (quae est Kockii sententia) aut idem significat quod *λῆμα*, si quidem scholiastae verbis fides habenda est: *Οἱ δὲ ὅρμημα τὸ λαῖμα, ἔτι*

[1]) Ubi scholiastes legit: *ᾔδ' ἡ κορώνη κτλ.*

[2]) Cfr. Kock. ad. h. v. annot.

[3]) Dind. praefat. edit. schol. p. IX.

μέντοι τῶν περὶ Ἀσίαν τινὲς ἐπὶ τῶν ἀναιδῶν καὶ εὐτόλμων οὕτω λέγουσιν. Quae significatio cum ab hoc loco prorsus abhorreat, interpretes veteres has protulerunt coniecturas: *Εὐφρόνιος τὸν λαιμόν. καὶ γὰρ προείρηκεν ἧς λαιμοὺς τεμών . . . . . γράφεται δὲ καὶ δέρμα,* quarum hanc ineptam esse iam alius quidam interpres vetus concedit, cum dicit: *εἴρηται δὲ ἐκείνοις οὐδὲν σαφὲς τοῖς γράφουσι δέρμα,* illam, quae est Euphronii, probari praecepta artis metricae vetant, quippe qua in primo pede dimetri trochaici spondeus (πρὸς τ ὸ ν λ α ι μ ό ν) efficiatur. Neque versus 1299 emendatio iis melius evenit, ubi codicum scriptura *στυφοκόμπου* aperte corrupta est. Scholii verba haec sunt: *φέρεται δὲ ἐν τοῖς πλείστοις · ὑπὸ στυφοκόμπου καὶ σαφὲς οὐδέν ἐστιν εὑρεῖν. Διονύσιος δὲ ὁ Ζώπυρος* [Fortasse legendum est *Διονύσιος δὲ καὶ Ζώπυρος*. Cfr. Duebneri ad. h. schol. annot,] *γράφει · ὑπ' ὀρτυγοκόμπου, καὶ ἐξηγεῖτο ὅτι ἔγκειται τὸ μ. θέλει γὰρ εἰπεῖν τῶν ὀρτυγοκόμπων, ἐπεὶ καὶ αὐτὸς τῶν ὀρτυγοκόμπων.* Quae coniectura quamquam litterarum similitudine [*ΥΠΟΡΤΥΓΟΚΟΜΠΟΥ = ΥΠΟΣΤΥΦΟΚΟΜΠΟΥ*] commendatur, tamen haud probabilis videtur, primum quod inusitatum illud et reconditum vocabulum *στυφοκόμπου* multo facilius in *ὀρτυγοκόμπου* quam *ὀρτυγοκόμπου* in *στυφοκόμπου* corrumpi potuit, tum quod pro lectione . . . . *κόμπου* scribendum esse . . . . *κόπου* nemo est quin intelligat. Qua de re *ὑπὸ στυφοκόπου* scripserim, quam lectionem et Bergkius probavit et Kockius, quamquam in textum *ὑπ' ὀρτυγοκόπου* recepit, idoneam esse in annotatione concessit. — Alios locos, a quibus omnis mendorum suspicio abest, falso scholiastae improbarunt. V. 913 verba *Μουσάων θεράποντες ὀτρηροὶ κατὰ τὸν Ὅμηρον*, iam supra v. 909 a poëta prolata, ab eodem repetuntur, quibus, ut sagacissime annotat Kockius, preces suas importunas ac impudentes illustri Homeri exemplo excuset. Interpretes vero quidam veteres in hac eorundem verborum repetitione falso offenderunt, ut scholii verba demonstrant: *Περισσά τινες ταῦτα.* Neque de verbis v. 1514: *Πηνίκ' ἄττ' ἀπώλετο* (ὁ *Ζεύς*); quae annotant: *Οὐκ Ἀττικὸν τὸ πηνίκ' ἄττ' ἀπώλετο . . . . ἀλόγως γὰρ κεῖται. οὔτε γὰρ τὸ τινά σημαίνει οὔτε τὸ ἅτινα. οὐδενὶ γὰρ τούτων ἁρμόζει τὸ πηνίκα,* recte dicuntur. Nam hic loquendi usus a Kockio exemplis allatis optime probatur. — Deinde mira exstat Aristophanis grammatici coniectura ad v. 1342: *Μετὰ τοῦτον ἑνὸς στίχου φέρουσί*

τινες διάλειμμα, καὶ Ἀριστοφάνης [Lege Ἀριστοφάνους. Dind.] πλήρωμα οὕτως · ἐρῶ δ' ἐγώ τι τῶν ἐν ὄρνισιν νόμων. Qui versus postea in codices nobis servatos receptus est. Sed qui totius loci sensum respiciet, nihil desiderabit, quam ob rem non dubito, quin hunc versum Kockius recte eiecerit, praesertim cum nihil sit nisi versus 1345 molesta repetitio. Incaute etiam Symmachus de voce κεβλήπυρις, quo nomine avis quaedam nobis ignota appellatur, agit, cum ad v. 303 dicit: Μήποτε οὐχ ἕν ἐστιν, ἀλλὰ δύο, φησὶν ὁ Σύμμαχος. καὶ ἐν τοῖς Καλλιμάχου [1]) γὰρ ἀναγέγραπται κέβλη. εἶτα μύρμηξ Ἑρμίππου τετραμέτροις κτλ. [Lege: εἶτα πυρίς. Ἕρμιππος Τετραμέτροις κτλ. Kusterus] Opinatur igitur Symmachus vocem κεβλήπυρις in duas voces κέβλη et πυρίς dividendam esse, ita ut utraque vox singulas aves significet. Sed hoc si recte opinatus esset Symmachus, viginti quinque choreutae enumerarentur, cum tantum e viginti quattuor choreutis chorum comicum constitisse omnes consentiant. Quam ob rem iam alius quidam vetus interpres huic Symmachi sententiae recte hoc opposuit: Οὐ δύναται δύο εἶναι διὰ τὸν ἀριθμὸν τῶν εἰκοσιτεσσάρων. — Similis est scholii de voce κύμινδις versui 1181 ascripti ratio: Τὴν κύμινδιν οὐκ ἀνέγραψεν ὁ Καλλίμαχος. μήποτε οὖν κίσινδις γραπτέον. Quamquam et Aristoteles et Plinius et Homerus [2]) de hac ave tam diserte loquuntur, ut ne suspicio quidem mendi adesse possit. Magna deinde interpretum dubitatio orta est de verbis versus 66: Καὶ μὴν ἐροῦ τὰ πρὸς ποδῶν, quibus Euelpides utitur, ut upupae servo probet se revera esse illam avem pavidam (ὑποδεδιώς), quam se esse affirmaverat. Hunc versum non dubito quin recte Kockius his verbis interpretatus sit: »Das, was vor meinen Füssen liegt, (ἐγκέχοδε γάρ Fr. 479) wird Dir zeigen, dass ich mich mit Recht Aengstling genannt habe«. Qua cum sententia, si quidem recte verba intelligo, vetus quidem interpres consentit, cum dicit: Λέγει δὲ ὡς ὑπὸ τοῦ δέους ἐναφεικώς. Ceteri interpretes aut omnino non aut falso verba intellexerunt. Nam qui eum terrore perturbatum verba amentia vel obscura locutum esse (ὑπὸ τοῦ φόβου ἀδιανόητα ἐφθέγξατο) contendit, eum hoc inepte dicere quis est qui neget? Neque quod alius quidam dicit: Ἤ φησιν,

[1]) H. e. in libello quodam etiam in scholl. Av. v. 765, 884, 1181 laudato quem de avibus Callimachus conscripserat, ut Suidas s. v. Καλλίμαχος tradidit.

[2]) Verba affert Kockius in annot. ad. h. v.

ἐρώτα τὰ πρὸς ποδῶν σου ὄρνεα, εἰ βούλει, περὶ ἐμοῦ. ἢ ἀπὸ τῶν ποδῶν ἡμῶν ὅτι ὄρνεα ἐσμὲν, μάνθανε, recte dicitur. quoniam neque avium, quae upupae servo *πρὸς ποδῶν* esse possint, illo loco ullum indicium exstat neque apparet, qua ratione Euelpidis et Peithetaeri [1]) pedes eos aves esse demonstrare possint. Quae cum ita sint, haec verba, quae iis obscura viderentur, variis coniecturis emendare studuerunt: *Γράφεται καὶ μὴν ἐρώτα πρὸς ποδῶν, ὅτι σαφέστερον. καὶ τάχα ἂν εἴη κατὰ τὴν παλαιὰν σημασίαν γεγραμμένον τὸ ἔρου ἔρω, μετελήφθη δὲ εἰς τὸ ω*; quae litterarum mutatio, quae sane est levissima, certe ad eum finem facta est, ut sententia iam supra exposita: *ἀπὸ τῶν ποδῶν ἡμῶν, ὅτι ὀρνεά ἐσμεν, μάνθανε,* apertius eveniat. Sequuntur scholii haec verba: *Ἔν τισι δὲ γράφεται, καὶ μὴν ἐρώτα πρὸς τίνων ἢ καὶ οὕτω, καὶ μὴν ἐρώτα πρὸς ποίων, ἀντὶ τοῦ πρὸς τίνων ἐσμὲν ὀρνέων ἐρώτα καὶ τίσι προσήκομεν.* Sed hanc sententiam neque in verborum contextum quadrare neque cum particula *καὶ μήν* (quae aut affirmationem aut oppositionem significat [2]) convenire iam alius interpres monuit: *Ἔστι δὲ τὸ ὅλον λόγον οὐκ ἔχον καὶ ἔτι τὸ καὶ μὴν ἀκαίρως ἔσται λεγόμενον.* — His quae attuli exemplis iam satis demonstrasse mihi videor haud raro locos integros et incorruptos ab interpretibus veteribus falsis coniecturis depravatos esse. Locos rursus re vera corruptos mendis non cognitis inepte et perverse explicarunt, velut versus 167 sqq: *Αὐτίκα ἐκεῖ παρ' ἡμῖν τοὺς πετομένους ἢν ἔρῃ, τίς ὄρνις οὗτος; ὁ Τελέας ἐρεῖ ταδί κτλ.* Verba, quae quam maxime corrupta sunt[3]), scholiastae, qui menda ne suspicantur quidem, hoc modo interpretantur: *Λέγει δὲ ὅτι, ἤν τις ἐρωτήσῃ περὶ τῶν πετομένων, τίς ὄρνις οὗτος, ὁ Τελέας ἐρεῖ ταῦτα κτλ,* qua sententia nulla potest esse perversior. Neque ad vss. 1149 sqq: *Ἄνω δὲ τὸν ὑπαγωγέα ἐπέτοντ' ἔχουσαι κατόπιν ὥσπερ παιδία τὸν πηλὸν ἐν τοῖς στόμασιν αἱ χελιδόνες* inter *κατόπιν* et *ὥσπερ* nonnulla verba excidisse [4]) scholiastae cognoverunt. Nam quamquam dicunt: *ἀσαφῶς λέγει,* tamen de mendis securi ita pergunt: *Λέγει γὰρ τὰς χελιδόνας τὸν ὑπαγωγέα ἐπὶ τῶν ὤμων αὐτὰς κομίζειν, τὸν δὲ πηλὸν ἐν τοῖς στόμασι. καὶ ποιοῦσι τοῦτο, ὅταν τὰς νεοσσιὰς κατασκευάζωσιν.* (!) — Versus 1680 sqq, quales sunt in codicibus *Μὰ τὸν Δί', οὐχ οὗτός*

[1]) Peithetaerum, non Peisthetaerum scribendum esse Kockius pag. 48 exposuit.
[2]) Cfr. Krueg. Gramm. Gr. I, § 69, 39, 1.
[3]) Quomodo emendanda sint, optime exponit Kockius ad. h. v.
[4]) De hac re cfr. Kockii annot.

γε παραδοῦναι λέγει, εἰ μὴ βαδίζειν ὥσπερ αἱ χελιδόνες, emendationis utique indigent, quam ob rem recentiores interpretes pro βαδίζειν βαβάζει γ' vel βαΰζει γ' legi volunt. Veterum autem interpretum alii in improbanda codicum lectione acquiescunt ut Symmachus: Οὐκ ἔστιν ὁ τούτου νοῦς φανερός. οὐδέν τι δύναται ἴδιον τῶν χελιδόνων ἡ βάδισις, αἵ γε μηδὲ πορείᾳ χρῶνται ὡς τὰ ἄλλα τῶν ὀρνέων, καὶ μάλιστα τὰ μὴ πτητικά, alii verba, quae in codicibus leguntur, interpretari student, ut Didymus: Καταλλήλως εἶχεν, εἰ ἔλεγεν ὡς τὰς χελιδόνας. θέλει γὰρ λέγειν, εἰ μὴ βαδίζει πρὸς τὰς χελιδόνας, διὸ καὶ ἐποίσει· οὐκοῦν παραδοῦναι ταῖς χελιδόσιν λέγει, quae profecto est mirabilis sententia, sed mirabilior haec: Μὰ τὸν Δία, φησίν, οὐ λέγει παραδοῦναι, ἀλλὰ βαδίζειν καὶ ἀναχωρεῖν. οὕτω δὲ αὐτό φησι βαρβάρως καὶ δυσφράστως, ὥσπερ αἱ χελιδόνες. (!) Denique affero versum 63; Οὕτως τι δεινὸν οὐδὲ κάλλιον λέγειν, quem hac inaudita atque incredibili ratione explicare conantur: Τὸ κάλλιον ἀντὶ ὑπολύτου κεῖται. ἀντὶ τοῦ · οὐδὲ καλὸν λέγειν τὸ ἡμᾶς ὑποπτεύεσθαι τοιούτους εἶναι; vel, ut alii hariolantur: Οὑτωσί τι δεινὸν οὐδὲ κάλλιον λέγειν, τουτέστιν οὕτω τι δεινὸν ἔχομεν ἐκ τῆς ὄψεως, ὥστε ὀρνιθοθῆραι νομίζεσθαι. οὐδὲ λέγειν σε τοῦτο κάλλιόν ἐστιν ὅτι ἐσμὲν ὀρνιθοθῆραι. Plura exempla affere longum est, nam quae attuli, satis superque ostendere videntur tantum abesse, ut emendarint scholiastae codicum lectiones, ut haud raro depravarint.

§ 2.

Qua ratione interpretes veteres res in scena actas enarraverint.

In codicibus poëtarum scenicorum nobis traditis nihil legi nisi verba ab ipsis histrionibus in scena recitata inter omnes constat. Nihil inest de histrionibus prodeuntibus et abeuntibus, nihil de eorum vestimentis et gestibus, nihil de scenae specie et scenae parietum mutationibus, desunt denique omnia illa, quae in scena aguntur fabularum argumentis progredientibus.[1]) Quae omnia ex ipsis fabularum verbis acute colligere et diligenter exponere haud

[1]) Nescio an recte mihi opponi possint annotationes illae, quae dicuntur παρεπιγραφαί (Cfr. Ran. v. 312: Αὐλεῖ. Ran. v. 1263: Διαύλιον προσαυλεῖ. Av. v. 222: Αὐλεῖ), quarum originem libere fateor me ignorare. Certe iam scholiastis tam

scio an omnium interpretis munerum sit maximum. Plerisque locis sane poëtae verba ea esse, quae illa aperte et dilucide demonstrent, certe concedendum est. Quam ob rem quoniam errare omnino non potuerunt, scholiastarum de eiusmodi locis explicationes, quae plurimae sunt, afferre supersedeo. Sunt vero permulti quoque loci, ubi, quid simul in scena agatur, investigare difficile est. Quibus locis quomodo rem egerint scholiastae, exemplis allatis iam exponere conabor. Huius generis difficultas maxima inest in versu 66: *Καὶ μὴν ἱροῦ τὰ πρὸς ποδῶν*, iam pag. 4 commemorato, qui quid sibi velit, spectantes facile intellexerunt, legentes non nisi coniectura colligere possunt. Sed, ut iam dixi, hunc nodum recte is interpres expediisse videtur, qui dicit: *Λέγει δὲ ὡς ὑπὸ τοῦ δέους ἐναφειχώς.* Eodem modo chori verba v. 443: *Οὔ τί που τόνδ'; οὐδαμῶς*, quibus verba Peithetaeri: *Μήτ' ὀρχίπεδ' ἕλκειν μήτ' ὀρύττειν* interrumpuntur, apparet illustrata esse histrionis gestu aliquo, quem non dubito, quin recte interpres significaverit his verbis: *Μὴ ὀρύττειν τὸν πρωκτόν. τὸν*

---

arte cum ipsis fabularum verbis cohaerere visae sunt, ut dubitarent, utrum in metris describendis eiusmodi annotationum ratio habenda esset nec ne. Nam cum in schol. Ran. v. 269 legatur: *Μετὰ δὲ τὸν μβ' κῶλον ἰαμβικὸν ἑφθημιμερὲς τὸ αὐλεῖ τις ἔνδον· ὅ κατὰ παρεπιγραφήν φασι κεῖσθαι, ὡς καὶ ἑξῆς τὸ διαύλιον προσαυλεῖ*, scholium, quod ad Acharn. v. 1 metra enumerat, hoc dicit: *Ἐξαιρείσθωσαν καὶ αἱ παρεπιγραφαί* [i. e. e versibus, qui hoc loco enumerantur]. Deinde, id quod maioris momenti est, ad Thesmoph. v. 100, ubi nullam invenerant, talem annotationem addendam esse nonnulli crediderunt, ut docet scholium: *Μεταξὺ δὲ τῶν δυοῖν ἀξιοῦσί τινες γράφειν· μινυρισμός, ὡς πολλὰ τοιαῦτα παρεπιγράφεται.* Ceterum in codicibus, quos nos habemus, rarae inveniuntur, sed olim fortasse scholiastis saepius occurrerunt. Nam post Acharn v. 113 certe vocem *ἀνανεύει* et post. v. 114 vocem *ἐπινεύει* legerunt (*τὸ δὲ ἀνανεύει καὶ ἐπινεύει παρεπιγραφή κτλ.*) quarum, nisi fallor, nostris in codicibus nullum remansit vestigium. Deinde etiam scholii Thesmoph. v. 100 iam allati verba: *ὡς π ο λ λ ὰ τοιαῦτα παρεπιγράφεται* demonstrare videntur olim eiusmodi annotationes frequentes fuisse. Sed ne quis credat, ubicunque vox *παρεπιγραφή* in scholiis legatur, etiam in codicibus talem annotationem extra versuum et sententiarum contextum positam neque ab histrione recitatam exstitisse, restat, ut dicam etiam ipsius fabulae verba, quae ita comparata sint, ut optime res simul in scena actas demonstrent, saepissime a scholiastis *παρεπιγραφάς* appellari. Quod vel omnium optime scholium docet, quod Nub. v. 18: *Ἅπτε, παῖ, λύχνον κτλ.* ascriptum est: *ταῦτα πάντα παρεγκυκλήματά εἰσι καὶ παρεπιγραφαί*, tum scholium quod de Equit. v. 959: *Παρ' ἐμοῦ δὲ τουτονὶ λαβὼν ταμίευέ μοι* hoc dicit: *Δακτύλιον ἄλλον δίδωσι καὶ ἔστι παρεπιγραφή.* Eadem ratione vox *παρεπιγραφή* occurrit in scholl Equit. v. 157, 1, 373, 451, 493, 710. Nub. v. 82, 11. 255, 707, 1240 etc.

πρωκτὸν γὰρ δεικνὺς φησιν, οὔ τί που τόν (Lege τόνδ'). De Peithetaeri verbis v. 1018: Ἐπίκεινται γὰρ ἐγγὺς αὑταί scholium exstat hoc: Αἱ πληγαί. ἅμα δὲ λέγων τύπτει αὐτόν, quod recte dictum esse e Metonis exclamatione quae subsequitur: Οἴμοι κακοδαίμων cognoscimus. Neque minus recte de Peithetaeri verbis v. 1029: Ἔστιν δ' ὁ μισθὸς οὑτοσί dicit aliquis: Ῥαπίσας αὐτὸν ταῦτα λέγει, id quod apparet e verbis quae sequuntur episcopi: Μαρτύρομαι τυπτόμενος ὢν ἐπίσκοπος. — Transeo ad histrionum, qui partes avium agunt, vestitum ornatumque, qui, qualis fuerit, interpretes veteres ex nonnullis fabulae locis satis argute colligunt. Neque enim perfectam et iustam avium speciem praebuerunt histriones, sed eos aves esse nihil nisi ingentia rostra et cristae et rarae pennae significarunt, quo maiorem spectantium risum moverent. Hoc optime intelligitur e versu 103, ubi Euelpides monstruosam upupae speciem admiratus interrogat: Ubi tandem sunt pennae tuae? et upupa eas excidisse simulat. Eodem modo etiam scholiastes verba recte interpretatur: Παρόσον ἄνθρωπος ἐξελήλυθε, μὴ ἔχων πτερὰ πλὴν τῆς κεφαλῆς ὄρνιθος ἐπτερωμένης. Eadem est versuum 667 sqq. ratio. Nam quod luscinia auro exornata est »ὥσπερ παρθένος« atque eius amore Euelpides statim incenditur, dilucide demonstrat eam non iustam lusciniae speciem praebere, sed mulierculam esse lusciniae persona indutam. Eadem etiam scholiastae est sententia: Ἑταιρίδιον πρόςεισι, τὰ ἄλλα μὲν κεκαλλωπισμένον, τὴν δὲ κεφαλὴν ὄρνιθος ἔχον ὡς ἀηδόνος. — Deinde haud raro difficile intellectu est, quae personae in scena sint et quae non sint, tum quando prodierint et quando abierint, denique ad quas personas verba dicantur. Cuius generis est versus 85: Κακῶς σύ γ' ἀπόλοι', ὥς μ' ἀπέκτεινας δέει, quae Peithetaeri verba non dubium est quin upupae servo dicantur. Qua ex re conieceris hunc servum in scena adhuc adesse, etiamsi v. 84 dixerit se dominum e somno excitaturum h. e. se abiturum esse. Sed scholiastes dicit: Πρὸς τὸν θεράποντα τοῦ ἔποπος λέγει εἰσελθόντα, atque sine dubio recte dicit; nam id ipsum est Peithetaeri avem praesentem ingentis rostri causa vehementer extimescere, absentem audacter increpare [Cfr. Kock. ad. h. v. annot.] V. 434 primo aspectu non apparet, qui sint illi σὺ καὶ σύ, qui iubentur arma auferre. Neque enim Euelpides et Peithetaerus sunt, quoniam hic statim admonetur, ut consilia sua cum

avibus communicet. Quam ob rem consentiente Kockio certe recte vetus quidam interpres statuit: *Πρὸς τὸν Εὐελπίδην φησὶν ὁ ἔποψ. ἄμεινον δὲ πρὸς τοὺς θεράποντας, ὡς ἐν τοῖς ἑξῆς· ἄγε δὴ Ξανθία καὶ Μανόδωρε.* Denique etiam de Peithetaeri verbis v. 1317: *θᾶττον φέρειν κελεύω* recte dicitur: *Δῆλον δὲ ὅτι πρὸς τὸν Μανῆν.* Nam Manes est, cui v. 1311 imperat, ut pennas apportet. — Restat, ut afferam scholiastarum annotationes nonnullas praestantissimas, quas exhibuerunt de poëtae arte, qua res quasdam, quas scenae ratio postulat, fabulae argumento ita intexere solet, ut fabulam progredientem non modo non interrumpere sed adiuvare videantur. Qua arte fit, ut avium chorus non temere ac fortuito intret, sed upupae cantu [v. 227—262] eum ad finem arcessatur, ut de Peithetaeri consiliis sententiam dicat. [Cfr. v. 197 sqq.] Audiamus scholium v. 229: *προσκαλεῖται τοὺς ὄρνιθας, ἵνα συμβουλεύσῃ τὴν πόλιν κτίσαι. τὸ δὲ ὅλον εὐκαίρως ὁ ποιητὴς βούλεται τὸν χορὸν εἰσάξαι τῶν ὀρνέων* [H. e. *Τὸ δὲ ὅλον εὐκαίρως ὁ ποιητής λέγει. βούλεται γὰρ κτλ.*]. Similis est optima scholiastae annotatio ad v. 640: *Ὁ ἔποψ παρακελεύεται αὐτοῖς εἰς τὴν νοσσιὰν εἰσελθεῖν, ἵνα αὐτῶν ἀποστάντων σχοίη καιρὸν ἡ παράβασις.* Consiliis enim Peithetaeri expositis priusquam ad urbem aedificandam aggrediantur, upupa, ut est summa urbanitate, advenas invitat, ut ipsius domum introeant atque cibo potuque vires reficiant. Qua ratione admodum ingeniose illi e scena removentur, »*ἵνα ἀποστάντων αὐτῶν σχοίη καιρὸν ἡ παράβασις.*« — Ne revera hostia in scena caedatur, Peithetaerus se intus sacrum facturum esse simulat v. 1056, cum foris ab hominibus importunis impediantur. Neque hoc artificium scholiastas fugit, ut apparet e schol. v. 1057: *Σκήπτεται ἔνδον ποιεῖν τὴν θυσίαν, ἵνα μὴ σφάξῃ τὸ πρόβατον.* — Hae, quas in medium proposui scholiastarum annotationes satis diligenter et argute excogitatae sunt; sed ne quis credat omnes huius generis quaestiones eos bene expediisse, iam afferam exempla, quibus ostendam saepius eos etiam gravem cladem accepisse. Ad Peithetaeri verba v. 1329: *Μανῆς γάρ ἐστι δειλός* haec exstant scholiastae verba: *Πρὸς ἄλλον λέγει τύπτων τὸν Μανῆν,* quod falso dici intelligi potest ex v. 1335, ubi Peithetaerus se iam non a servo manus abstinere posse dicit, qua ex re apparet adhuc servum non verberatum esse. Eodem modo verbera maturius significat schol v. 1397: *Τοῦτο λέγων ὁ Πεισθέται-*

ρος παίει αὐτόν. Nam post v. 1402 demum Cinesias verberatur, id quod apparet e verbis quae sequuntur Cinesiae: *Τουτὶ πεποίηκας τὸν κυκλιοδιδάσκαλον κτλ.*; Deinde mira de Peithetaeri verbis v. 1053: *Ἐγὼ δὲ σοῦ γε τὼ κάδω διασκεδῶ* scholiastes aliquis statuit, cum dicit: *Ἀποπατήσας ἀπαλλάττεται τοῦ συκοφάντου.* Cuius rei cum ne minimum quidem exstet vestigium, vereor ne inepte et perverse collegerit e versu qui sequitur: *Μέμνησ' ὅτε τῆς στήλης κατετίλας ἑσπέρας;* [1]) — Verba Peithetaeri v. 958: *Αὖθις σὺ περιχώρει λαβὼν τὴν χέρνιβα* sacerdoti dicta esse scholiastes contendit his verbis: *Πρὸς τὸν ἱερέα φησὶ περίελθε καὶ περίρραινε.* Sed sacerdos iam v. 893 (*Ἄπελθ' ἀφ' ἡμῶν καὶ σὺ καὶ τὰ στέμματα. ἐγὼ γὰρ αὐτὸς τουτογὶ θύσω μόνος.*) e scena expulsus est, neque sacerdotis sed servi est aquam circumferre, id quod docet v. 850: *Παῖ, παῖ, τὸ κανοῦν αἴρεσθε καὶ τὴν χέρνιβα.* Eidem servo Peithetaerus v. 934 et 947 imperat, ut »*σπολάδα*« et »*χιτῶνα*« exuat et poëtae donet. Nam quod ad v. 947 scholiastes contendit: *Τῷ Εὐέλπιδι λέγει,* non recte se habet, quoniam neque Peithetaerus ab amico et sodali suo tantum postulare potest neque Euelpides, cum v. 846 abierit, omnino in scena adest. — V. 849 sqq. quomodo res in scena fiant, haud facile intelligitur; nam e versu 849, ubi Peithetaerus se sacerdotem arcessiturum esse dicit, sequitur eum scenam relinquere. Cum vero iam v. 859 denuo in scena adsit, eum inter chori cantum (851—858) cum sacerdote in scenam redire necesse est. Sed hoc eodem tempore cum Chaeris quoque, tibicen ille qui post v. 858 canere incipit, in scenam prodeat, scholiastes ad v. 859 hoc annotavit: *Ἔξεισιν [ὁ Πειθέταιρος] ἱερέα καὶ αὐλητὴν ἔχων.* At non fieri potest, ut et tibicinem et sacerdotem Peithetaerus secum adducat, primum quod neminem praeter sacerdotem ille arcessiturus erat, tum quod non opus est Chaeridem arcessere, quippe qui parasitus sit atque semper „*ἄκλητος*“ (cfr. Pac. v. 951 sqq.) ad epulas accurrat. Itaque etiam hoc loco non a Peithetaero arcessitur, sed, ut solet, invocatus ad dapem advenit. Denique de chori verbis v. 1326 sq.: *Σὺ δ' αὖθις ἐξόρμα τύπτων γε τοῦτον ὡδί,* hoc perverse statuit scholiastes: *Ἀποστρέφει τὸν λόγον ὁ χορὸς πρὸς τὸν Πεισθέταιρον*

---

[1]) Sentantia profecto tam perversa est, ut fortasse Dindorfius recte coniecerit vocem *ἀποπατήσας* corruptam esse ex *ἀπεπάτησας*, quod proximo versui ascriptum fuerit.

εἰσιόντα ἐπεῖξαι τὸν οἰκέτην. Nam minime Peithetaerus scenam relinquit neque eum abire uno verbo significatur. Unde igitur scholiastes hoc collegit? E voce *ἐξόρμα*, opinor, cui cum hoc loco vis incitandi (cfr. Kock. ad h. v. annot.) insit, avolandi vim (quam habere potest. Cfr. Hom. Od. 12, 221) inesse inepte credidisse videtur. — Multa igitur, ut huic quaestioni finem faciamus, optime videmus a scholiastis excogitata et digna esse, quae a nobis respiciantur, saepius rursum eos temere ac parum diligenter rem egisse.

§ 3.

Qua ratione in parodias scholiastae inquisiverint.

Artem criticam exercere et res in scena actas e fabularum verbis enucleare non solum comoediarum interpretis sed etiam eius est, qui tragoedias tractare instituit. Sunt vero alia munera comicorum interpretis propria, quorum in numero est parodiarum investigatio. Parodias igitur, quibus constat Aristophanis fabulas abundare, num recte significaverint scholiastae, magna nobis oritur nunc quaestio, quae et gravissima et difficillima est, praesertim cum poëtarum verba ab Aristophane in risus deflexa plerumque nobis non servata sint. Itaque nostrum erit e scholiastarum sententiis, quas de iis locis tulerunt, de quibus etiam nobis certum aliquid iudicare licet, diligenter inspectis quasi quandam normam iudicandi colligere, ut ad eam cetera minus perspicua referamus. Antequam autem ad rem ipsam transeam, de parodiae natura atque vi pauca videntur praemonenda esse. Parodia id potissimum spectat, ut risum moveat. Neque igitur est alius poëtae verborum ieiuna imitatio vel repetitio, sed verba aut ita mutantur aut in alium contextum transferuntur, ut hac mutatione aliquid ridiculi eveniat. Deinde non semper certa verba parodia carpuntur, sed saepius fit, ut ad totum orationis colorem sonumque parodia pertineat. Denique Aristophanes ea potissimum petit, quae ab aliis vitiose vel inepte dicta erant, atque ea ita vituperat, ut ea aut ad risum movendum commutet aut repetat tantum, cum iam per se satis sint ridicula. Id vero, ut iterum dicam, semper memoria tenendum est parodiam semper in se aliquid ridiculi habere. Quod si non inest, iam non

est parodia. Haec postquam praemisi, ad ipsas scholiastarum de parodiis annotationes transeamus: Postquam Peithetaerus et Euelpides ob avium vestitum, quem induerant, alter alterum irriserunt, ille v. 807 sq. hoc dicit; *Ταυτὶ μὲν ἠκάσμεσθα κατὰ τὸν Αἰσχύλον · τάδ' οὐχ ὑπ' ἄλλων, ἀλλὰ τοῖς αὑτῶν πτεροῖς.* Quod in locum aliquem Aeschyli iocari aperte demonstrat illud *κατὰ τὸν Αἰσχύλον*, de quo loco scholium hoc diserte affert: *Ἐκεῖνος γὰρ Λιβυστικὴν αὐτὴν καλεῖ παροιμίαν · »ὧδ' ἐστι μύθων τῶν Λιβυστικῶν λόγος πληγέντ' ἀτράκτῳ τοξικῷ τὸν αἰετὸν εἰπεῖν ἰδόντα μηχανὴν πτερώματος. τάδ' οὐχ ὑπ' ἄλλων ἀλλὰ τοῖς αὑτῶν πτεροῖς ἁλισκόμεσθα.« πεποίηκε γὰρ ὁ Αἰσχύλος ἀετὸν τετρωμένον λέγοντα ταῦτα, ἐπειδὴ εἶδε τὸ βέλος ἐπτερωμένον καὶ ἐμπεπαρμένον αὐτῷ. καὶ ἡμεῖς οὖν, φησίν, οὐχ ὑπ' ἄλλων πάσχομεν ταῦτα, ἀλλὰ τῇ ἑαυτῶν γνώμῃ.* Peithetaeri igitur sententia ea est: Ut aquila illa, inquit, Aeschylea suis ipsius pennis interficitur, ita nos pennis, quibus ipsi nos exornavimus, — risum movemus. Iocus in eo est, quod Aeschyli verba in prorsus diversam rem transferuntur. Idem Taeuberus iudicat, cum dicit:[1]) Der Vers des Aeschylos soll in keiner Weise durch die Parodie verspottet werden, sondern erhält nur durch die Veränderung des Zusammenhangs eine scherzhafte Beziehung. Ad eiusdem fabulae Aeschyleae locum etiam sycophantae verba v. 1420: *Πτερῶν, πτερῶν δεῖ· μὴ πύθῃ τὸ δεύτερον* pertinere scholiastes his verbis contendit: *Παρὰ τὸ Αἰσχύλου ἐκ Μυρμιδόνων »ὅπλων ὅπλων δεῖ«.* Neque dubium est quin hoc recte dicat; nam quod haec grandia verba, quae in Achillem de Patroclo interfecto furenter iratum[2]) optime cadunt, a sycophanta in tam levem rem transferuntur, maxime ridiculum est. Deinde de Peithetaeri verbis v. 1247 sq: *Μέλαθρα μὲν αὐτοῦ καὶ δόμους Ἀμφίονος καταιθαλώσω πυρφόροισιν ἀετοῖς* scholiastes sine dubio recte statuit: *Ἐκ Νιόβης Αἰσχύλου.* Nam parodiam inesse demonstrat cum tota orationis contentio tum illud *»δόμους Ἀμφίονος«*, quod, cum ab hoc loco prorsus abhorreat, ex Aeschyli loco apparet integrum translatum esse. Neque iocus abest; nam illi *πυρφόροι ἀετοί,* quin on dubium est quin apud Aeschylum fulmina significaverint, hoc loco proprie significant aquilas. Paullo obscuriora verba sunt, quae de

[1]) Cfr. Kock. annot.
[2]) Cfr. Kock. annot.

Diitrephe, homine novo, dicuntur v. 799 sq.: *Ἡρέθη φύλαρχος, εἶθ' ἵππαρχος, εἶτ' ἐξ οὐδενὸς μεγάλα πράττει κ'αστὶ νυνὶ ξουθὸς ἱππαλεκτρυών.* Neque enim e scholiastae verbis *Παρὰ τὰ γραφέντα ἐκ Μυρμιδόνων Αἰσχύλου* apparet, quae Aeschyli verba fuerint, neque in quibus Aristophanis verbis parodia insit, cum minime tragoediam redolere videantur. Sed ad has tenebras dissipandas idonea sunt primum Pacis versus 1177, ubi aliquis omnium primus in fugam se conicit »*ὥσπερ ξουθὸς ἱππαλεκτρυὼν τοὺς λόφους σείων*, tum scholium ad hunc versum exhibitum: *Ὅτι τοῦ παρ' Αἰσχύλῳ πολλάκις κληθέντος ἱππαλεκτρυόνος, ὃν ἀεὶ κωμῳδοῦσιν, ἐν Μυρμιδόσι μέμνηται*, denique Ran. v. 930 sqq., ubi Dionysus dicit se noctu multum secum reputasse, quae bestia esset *ξουθὸς ἱππαλέκτωρ*. Quibus ex locis cognoscimus Aeschylum in Myrmidonibus hanc portentosam beluam aut finxisse aut certe usurpasse, quam ob rem comoediarum auctores eum perstringere non desierint. Nostro igitur loco parodia tantum inest in voce *ἱππαλεκτρυών*. Neque vero haec parodia solum Aeschyli reprehensionem spectat, sed illa vox *ἱππαλεκτρυών* etiam lepidissime transfertur in Diitrephem, quoniam est et *ἵππαρχος* et superbus et insolens ut gallus, nam gallus »*ὥσπερ βασιλεὺς ὁ μέγας διαβάσκει*« [cfr. v. 486 [1])] — Verba, quae parricida cantat v. 1337 sq: *Γενοίμαν αἰετὸς ὑψιπέτας κτλ.* in Sophoclis »Oenomaum« iocari Callistratus contendit in scholio: *Ἐν τοῖς Καλλιστράτου: ταῦτα ἐξ Οἰνομάου Σοφοκλέους.* Ac certe est parodia lepidissima. Nam apud Sophoclem haec verba certe nihil sunt nisi optatio rei, quam fieri non posse ne is quidem ignorat, qui optat, quem ad modum etiam nostri poëtae lyrici cantant: Wenn ich ein Vöglein wär; at in Nubicuculia, ubi omnia fieri possunt, etiam parricida, cum haec verba recitat, sperat re vera fore ut aquila fiat. Prorsus eadem est ratio verborum, quae recitat Cinesias v. 1372: *Ἀναπέτομαι δὴ πρὸς Ὄλυμπον πτερύγεσσι κούφαις, πέτομαι δ' ὁδὸν ἄλλοτ' ἐπ' ἄλλαν μελέων*, quae probabiliter statuit scholiastes parodiam esse carminis Anacreontis: *Ταῦτα παρὰ τὰ Ἀνακρέοντος· ἀναπέτομαι δὴ πρὸς Ὄλυμπον πτερύγεσσι κούφαις κτλ.* Neque enim, ut apud Anacreontem, ad mentis, ut ita dicam, sed ad corporis alas, quas accepturus est Cinesias, verba pertinent, non secus ac sycophantae verba v.

[1]) Quae postremo loco dixi, iam Kockius in annotatione exposuit.

1410 sq.: *Ὄρνιθές τινες οἶδ' οὐδὲν ἔχοντες πτεροποίκιλοι, τανυσίπτερε ποικίλα χελιδοῖ,* quae parodia sunt carminis Alcaei, ut docet scholium: *Τινὲς παρὰ τὸ Ἀλκαίου »Ὄρνιθές τινες οἶδ' ὠκεανῶ κτλ.«.* Simul vero his, quas postremo loco attuli, parodiis perstringi videntur carmina illa inania, quae plena sint avium et pennarum, vel, ut nuntius dicit v. 1301 sqq.: *Ὅπου χελιδὼν ἦν τις ἐμπεποιημένη, ἢ πηνέλοψ ἢ χήν τις ἢ περιστερὰ ἢ πτέρυγες, ἢ πτεροῦ τι καὶ σμικρὸν προσῆν.* — Deinde etiam proverbiorum exstant nonnullae parodiae ut v. 1147: *Τί δῆτα πόδες ἂν οὐκ ἂν ἐργασαίατο,* quod, ut docet scholium, dicitur *Παρὰ τὴν παροιμίαν· τί δῆτα χεῖρες οὐκ ἂν ἐργασαίατο.* Proverbium igitur in res humanas compositum in illam formam ridicule mutatur, ut ad aves accommodatum sit. Verba v. 1484: *Ἐν τῇ λύχνων ἐρημίᾳ* sunt faceta parodia proverbii: *Ἐν Σκυθῶν ἐρημίᾳ* secundum scholiastae annotationem: *Πέπαικται δὲ ἀπὸ τοῦ Σκυθῶν ἐρημία.* [Cfr. Acharn v. 704]. Denique proverbium *Πεζῇ βαδίζω· νεῖν γὰρ οὐκ ἐπίσταμαι* parodiarum more v. 1422 mutatum esse in *σκάπτειν οὐκ ἐπίσταμαι* haud improbabilis est scholiastae sententia: *Εἴρηται δὲ παρὰ τὴν παροιμίαν: πεζῇ βαδίζω· νεῖν γὰρ οὐκ ἐπίσταμαι.* — Oracula imitatur Aristophanes vss. 967—68; 972—73; 975; 977—79; 983—85; 987—88, qui cum universe vatum illorum fallacium vaniloquentiam et impudentiam perstringant et oraculorum sonum epicum irrideant, tum in singula oracula pervulgata iocantur, velut vss. 967—68: *Ἀλλ' ὅταν οἰκήσωσι λύκοι πολιαί τε κορῶναι ἐν ταὐτῷ τὸ μεταξὺ Κορίνθου καὶ Σικυῶνος,* de quibus scholium hoc dicit: *Παρὰ τὸν λεγόμενον χρησμόν· εἰ τὸ μέσον κτήσαιο Κορίνθου καὶ Σικυῶνος, ἐπεὶ καὶ ἡ πόλις μεταξὺ οὐρανοῦ καὶ γῆς ἵδρυται. Ἄλλως. Αἰσώπῳ τῷ μυθογράφῳ χρωμένῳ περὶ πλούτου ὁ θεὸς εἶπεν· εἰ τὸ μέσον κτλ.* [1])

---

[1]) Idem oraculum affert Athenaeus 5, 219 A: *Τὸν πυθόμενον, εἴτ' Αἴσωπός ἐστιν ὁ λογοποιὸς ἢ ἄλλος τις· πῶς ἂν πλουτήσαιμι, Διὸς καὶ Λητοῦς υἱέ; χλευάζων ἀπεκρίνατο· εἰ τὸ μέσον κτήσαιο Κορίνθου καὶ Σικυῶνος.* Miror quod Kockius in annotatione ad v. 968 opinatur illud *χλευάζων* non intelligi posse nisi agri, qui sint inter Corinthum et Sicyonem, maxime steriles fuerint. At tantum abest, ut steriles fuerint, ut frugibus abundaverint, id quod cognosci potest ex Eusthatii loco, quem ipse Kockius affert: *Κὐδαίμων ἡ Σικυὼν, καὶ δηλοῖ αὐτὸ ἡ παροιμία λέγουσα· εἴη μοι τὰ μεταξὺ Κορίνθου καὶ Σικυῶνος.* Prorsus fugit Kockium Oraculi iocus, qui idem est, quem in se habet Buergeri nostri illud: Wenn mit der Sonn' ihr früh' sattelt und reitet etc.

Lepide igitur illud μεταξὺ Κορίνθου καὶ Σικυῶνος transfertur ad conditionem Nubicuculiae, quippe quae inter caelum et terram sita sit. Deinde de verbis vss. 977—78: Κἂν μὲν θέσπιε κοῦρε ποιῇς ταῦθ' ὡς ἐπιτέλλω, αἰετὸς ἐν νεφέλῃσι γενήσεαι κτλ. recte hoc dicit scholiastes: Οὐχ ἁπλῶς τοῦτό φησιν, ἀλλ' ὅτι χρησμὸς ἦν τοῖς Ἀθηναίοις δεδομένος τοσοῦτον αὐξηθήσεσθαι ὅσον αἰετὸς τῶν ἄλλων ὀρνέων ἐν ταῖς νεφέλαις προὔχει.... Τούτου δὲ καὶ ἐν τοῖς Ἱππεῦσι μέμνηται κτλ. [1]) Illud αἰετὸς ἐν νεφέλῃσι γενήσεαι, cum de Athenis per translationem dicatur, in Nubicuculia sine dubio proprie intelligendum est. — V. 926 sqq. poëta Peithetaerum hoc modo alloquitur: Σὺ δὲ πάτερ, κτίστορ Αἴτνας, ζαθέων ἱερῶν ὁμώνυμε, δὸς ἐμὶν κτλ. et v. 941 ita pergit: Νομάδεσσι γὰρ ἐν Σκύθαις ἀλᾶται Στράτων, ὃς ὑφαντοδόνατον ἔσθος οὐ πέπαται· ἀκλεὴς δ' ἔβα σπολὰς ἄνευ χιτῶνος κτλ. Quae verba parodiam esse Pindari carminis in Hieronem conscripti et e versibus 926, 939 dilucide apparet et affirmatur a scholiasta: Ἐκ τῶν Πινδάρου ὑπορχημάτων· ξύνες ὅτι λέγω ζαθέων ἱερῶν ἐπώνυμε πάτερ κτίστορ Αἴτνας, tum ad v. 941: Καὶ ταῦτα παρὰ τὰ ἐκ Πινδάρου. ἔχει δὲ οὕτως· »Νομάδεσσι γάρ ἐν Σκύθαις ἀλᾶται Στράτων, ὃς ἁμαξοφόρητον οἶκον οὐ πέπαται«. λαβὼν δὲ ἡμιόνους παρ' Ἱέρωνος ᾔτει αὐτὸν καὶ ἅρμα. Verba igitur, quibus Pindarus ab Hierone mulos et currum petiverat, ridicule a nostro poëta ita mutantur, ut iisdem a Peithetaero togam et tunicam petat.

Hoc loco paulisper subsistamus. Si ad scholia commemorata respiciemus, nihil fere videbimus de parodiis scholiastas dicere nisi Τοῦτο παρὰ .... vel τοῦτο παρὰ τὰ ἐξ ... vel εἴρηται παρὰ ... vel τοῦτο ἐξ .... etc. verbis, ad quae pertineant parodiae, plerumque non allatis; nihil exponunt de ludibriis vel iocis, quae insunt in parodiis et inesse debent. Neque omnino vox παρῳδία legitur, nisi fallor, in scholiis nisi in scholl. Plut. v. 253, Acharn. v. 8, quo posteriore loco de parodia hoc dicitur: Τοῦτο παρῳδία καλεῖται, ὅτ' ἂν ἐκ τραγῳδίας μετενεχθῇ. Quae cum ita sint, scholiastae parodiae vim atque naturam mihi videntur omnino ignorare. Nihil respiciunt nisi verborum similitudinem. Qua re fit, ut, cum verborum similitudo facillime casu et fortuito exsistere possit, saepius in errorem rapti sint. Verbis v. 348 καὶ δοῦναι ῥύγχει φορβάν hoc scholium ascriptum est: Παρὰ τὰ

[1]) Cfr. Equit. v. 1013 et schol. huic v. ascript.

Εὐριπίδου ἐξ Ἀνδρομέδας »*ἐκθεῖναι κήτεϊ φορβάν*«, *ὡς Ἀσκληπιάδης τὰ μηδέπω διδαχθείσης τῆς τραγῳδίας παρατιθέμενος, ὡς καὶ τὸ* [Cfr. v. 423 sqq.] »*σὰ γὰρ ταῦτα πάντα καὶ τὸ τῇδε καὶ τὸ κεῖσε*« *παρὰ τὰ ἐκ τῶν μηδέπω διδαχθεισῶν Φοινισσῶν φησιν* »*κἀκεῖσε καὶ τὸ δεῦρο, μή δόλος τις ᾖ*«. *καὶ ὅλως πολὺ παρὰ πᾶσι τὸ τοιοῦτον.* Quae verba ita intelligenda esse demonstrat Bakhuyzen [1]), ut Asclepiades quidem illa verba parodias esse Euripidis contendat, sed eum errare alius scholiastes ex ea re colligat, quod fabulae illae Euripideae post Aves Aristophanis doctae sint. Erravit igitur Asclepiades inani verborum similitudine deceptus. Idem error occurrit in scholio, quod verbis v. 1720: *Ἄναγε, δίεχε, πάραγε, πάρεχε* adscriptum est: *Χλευάζει δὲ παρὰ τὰ ἐκ Τρῳάδων Εὐριπίδου* »*ἄνεχε, πάρεχε, φῶς φέρε* [Cfr. Troad. v. 308]. Nam sine dubio de hac scholiastae sententia recte iudicat Bakhuyzen l. l., cum dicit: »Errat scholiastes. Recte indicat Kock verba Aristophanis imperia esse a re militari petita«. Perversissima est etiam Didymi sententia, quam ad v. 1121: *Ἀλλ' οὑτοσὶ τρέχει τις Ἀλφειὸν πνέων* scholium affert: *Ὁ δὲ Δίδυμος· παρὰ τὸ Πινδάρου* »*ἄμπνευμα σεμνὸν Ἀλφειοῦ*« [Cfr. Nem. 1, 1]. Nam hoc Pindari *ἄμπνευμα Ἀλφειοῦ* locum significat, ubi quis animum corpusque remittat et relaxet. Quid igitur rei nostro versui cum Pindari loco? Ad vss. 1237—40: *Ὦ μῶρε, μῶρε, μή θεῶν κίνει φρένας δείσας ὅπως μή σου γένος πανώλεθρον Διὸς μακέλλῃ πᾶν ἀναστρέψει Δίκη* hoc exstat scholium: *Τοῦτό φησι παρὰ τὸ Σοφόκλειον· χρυσῇ μακέλλῃ Ζηνὸς ἐξαναστραφῇ.* Ac certe haec verba tragoediam quam maxime redolere nemo erit qui neget. Sed recte mea quidem sententia Taeuberus hoc monet [2]): Ohne irgend ein bestimmtes Vorbild in der Tragödie nachzuahmen oder gar zu verspotten, erhebt sich oft der komische Ausdruck je nach dem Inhalt zu echt tragischem Pathos, sowohl in der Wahl der Worte wie im Rythmus des Verses. Die alten Grammatiker nannten das *παρατραγῳδεῖν* [? Cfr. schol. v. 1246]. Hoc grande dicendi genus invenitur, ut exempla afferam, in versibus 1231 sqq., 1238 sqq., quos Iris recitat, tum in

---

[1]) Van de Sande Bakhuyzen: De parodia in comoediis Aristophanis. Traiect. ad. Rhen. 1877 pag. 82.

[2]) Cfr. Kockii ad v. 1197 annot.

nuntii verbis v. 1706 sqq.; 1196[1]) sqq., et certe maxime idoneum est ad spectantium risum movendum, quod in hac lasciva fabula hi homines diique depravati ascendunt ad Aeschyli et Sophoclis grande illud et magnificum loquendi genus, atque omnium maxime Iridis verba ab eius facie [Cfr. Kock. ad v. 1203 annot.] ridicule discrepant. Quam ob rem cum non necesse sit omnia verba, in quibus orationis tragicae color insit, ad certos tragoediarum locos referre, prorsus consentio cum Bakhuyzenio, cui scholiastes hoc loco errare videtur.[2]) Nam nostro versui cum illis Sophoclis verbis nihil commune est nisi vox *μακέλλη* pro voce *κεραυνός* usurpata, quae translatio apud poëtas tragicos saepius occurrit, velut in Aeschyl. Agam. versu 525, quem Kockius affert. —

Haec quae attuli exempla nos admonent, ne nimis securi levem verborum similitudinem sequamur neve scholiastis, quippe qui ad nihil nisi ad illam similitudinem respiciant, nimis confidamus. Integram igitur rem relinquamus his in versibus: Verba v. 275: *ΠΕΙΘ*: *Νὴ Δί' ἕτερος δῆτα. ΕΠΟΨ*: *χοὖτος ἔξεδρον χώραν ἔχων*[3]) parodiam Sophoclis esse contendit scholiastes: *Ἐκ τῆς Σοφοκλέους δευτέρας Τυροῦς ἀρχή· « τίς ὄρνις οὗτος ἔξεδρον χώραν ἔχων*; consentientibus et Bakhuyzenio [l. l. p. 81] et W. Ribbeckio.[4]) Sed Nauckius [Fragm. 588] de illo Tyrus versu hoc disserit: »Errant, qui *τίς ὄρνις οὗτος κτλ.* Sophoclis dramatis initium fuisse tradunt. *Ὄρνις* delendum puto, *ἀρχή* corruptum fortasse ex *ἄθρει.*« Quam coniecturam cum et Bakhuyzenius et Ribbeckius ll. ll. probent neque ego possim non probare, iam similitudo inest tantum in verbis *ἔξεδρον χώραν ἔχων.* Haec vero cum haud ita inusitata vel aliena a trita loquendi

[1]) Versus 1196—98 et in codicibus chori sunt et a Kockio choro tribuuntur. Sed quod in antistropha v. 1262—66 versus, qui his respondeant, absunt, iam suspicionem movet versus 1196—98 non chori esse sed alius cuiusdam. Ac profecto admodum verisimile est una cum primis verbis versus 1196, ubi lacunam esse ipse quoque Kockius concedit, etiam nomen eius, qui versus recitaverit, excidisse. Neque dubito quin nuntii sint, quoniam et prorsus ad eandem rem pertinent atque qui antecedunt nuntii versus 1182—85 et eandem tragoediae sonum prae se ferunt. (Cfr. Bakhuyzen l. l. p. 85).

[2]) Cfr. Bakh. l. l. pag. 86.

[3]) Hoc modo Kockius verba inter Peithetaerum et upupam distribuit, cum vulgo sint omnia Peithetaeri.

[4]) In dissertatione, quam de parodiis poëtarum tragicorum apud comicos editioni suae Acharnensium adiecit. pag. 274.

consuetudine [Cfr. Kockii ad v. 275 annot.] neque ita grandia videantur, ut e tragoedia in comoediam translata risum concitare possint, neque denique alius iocus appareat, maxime dubium videtur, num illud recte statuat scholiastes. Deinde de verbis v. 842: *κωδωνοφορῶν περίτρεχε καὶ κάθευδ' ἐκεῖ* quae legimus in scholio: *Μήποτε δὲ παρακωμῳδεῖ τὸν Εὐριπίδου Παλαμήδην οὐ πρὸ πολλοῦ δεδιδαγμένον* ita comparata sunt, ut quid certi iudicare non possimus. Cum vero versus neutiquam tragoediam resipiat, scholiastae coniectura fortasse pertinet solum ad vocem *κωδωνοφορῶν*, quam in Palamede exstitisse docet Harpocration [S. v. *διεκωδώνισε*]. Neque scholii verba: *Σοφοκλέους ἐκ Πηλέως*, quae de verbis v. 851: *Ὁμορροθῶ, συνθέλω, συμπαραινέσας ἔχω κτλ.* dicuntur, rem satis aperte explanant. Denique dignus est qui in quaestionem vocetur versus 276: *ΠΕΙΘ: Τίς ποτ' ἔσθ'; ΕΠΟΨ: ὁ μουσόμαντις. ΠΕΙΘ: ἄτοπος ὄρνις ἀβροβάτης,*[1]) ad quem hoc exstat scholium: *Παρὰ τὰ ἐξ Ἠδωνῶν Αἰσχύλου »τίς ποτ' ἔσθ' ὁ μουσόμαντις, ἄλαλος, ἀβρατεὺς ὃν σθένει«.* Quae Aeschyli verba cum et valde corrupta sint [Cfr. Suidam s. v. *Μουσόμαντις*], neque appareat, de quo homine dicta sint, hoc loco campus patet, quo exsultare possint coniecturae. Mihi haec subiit animum cogitatio: Vocabulum *μουσόμαντις* cum, nisi fallor, nusquam nisi in his Aristophanis et Aeschyli versibus inveniatur, conieceris ab Aeschylo fictum esse Aristophani autem aeque atque illud *ἱππαλεκτρυών* [Cfr. pag. 13] ridiculum visum esse, quamob rem hic et Aeschyli perstringendi et risus movendi causa hoc nomen gallo imposuerit. Sed, ut iam dixi, hoc nihil est nisi coniectura. — Iam videamus, quae sit huius disputationis summa: Quamquam satis multis locis scholiastae verum viderunt, tamen quae sit natura parodiae, ignorant, qua de causa saepius erant. Sequitur, ut, ubi sit res dubia, eorum verbis nihil tribuendum sit.

§ 4.

Quomodo ioca et facetias explicaverint scholiastae.

Ut totum Avium argumentum lepide inventum est, ita singula videmus facetiis leporibusque abundare, ut paene ex uno quoque

[1]) Ita Kockius verba distribuit. Vulgo sunt omnia Peithetaeri.

versu iocosum aliquid eluceat. In iocis et facetiis maxime versatur antiqua comoedia et quamquam etiam utile cum dulci eius auctores coniungere studuerunt, tamen imprimis captaverunt spectantium risus. Qua re etiam qui ad comoedias explicandas aggrediuntur, ii esse debent, qui natura et indole ad facetias ducantur. Tales num fuerint scholiastae nostri, nunc exemplis allatis exponere conabor. V. 1473 chorus nonnulla narrat de mira quadam arbore, cui nomen sit Cleonymo. Procul eam abesse „*Καρδίας ἀπωτέρω*“. Quibus verbis Cleonymi ignavia perstringitur; nam cum *καρδία* et nomen oppidi [Cfr. Kock. annot.] sit et animum significet, apparet hominem, qui sit *καρδίας ἀπωτέρω* [»Hinter Herzberg«. Kock.] animo carere. Qua re recte dicit scholiastes: ..... *ἅμα δὲ καρδία ἐστὶν ὄνομα πόλεως· μιμεῖται οὖν τοποθεσίαν ...... ἐν μὲν τῇ εἰρήνῃ μέγας καὶ λαμπρὸς, ἐν δὲ τῷ πολέμῳ ῥίψασπις. διὸ καὶ καρδίας αὐτὸν εἶπεν ἀπωτέρω, τουτέστιν καρδίαν οὐκ ἔχοντα.* Deinde lepidissimus verborum lusus, de quo miror quod Kockius nihil dicit, inest in Vs. 1547--48: *ΠΡΟΜ: μισῶ δ' ἅπαντας τοὺς θεοὺς ὡς οἶσθα σύ. ΠΕΙΘ: νὴ τὸν Δί' ἀεὶ δῆτα θεομισὴς ἔφυς.* Nam cum *θεομισής* et eum, qui diis odio sit, significare possit et eum, qui deos oderit [Cfr. *θεοσεβής*], non dubium est, quin optime dicat scholiastes: *Ὁ μέν φησι τῷ Προμηθεῖ ἴσον τι τῷ ὑπὸ θεῶν μισούμενος, διὸ καὶ ὀξυτόνως ἀναγνωστέον, ὁ δὲ τὸ ἕτερον δέχεται μισῶν θεοὺς, ὡς ὁ Τίμων ἀνθρώπους.* De Euelpidis verbis: *Τροχίλος ὄρνις οὑτοσί,* quae de upupae servo dicuntur, satis acute scholiastes ad v. 79 hoc contendit: *Παρὰ τὸ τρέχω. ἐπεὶ συνεχῶς εἶπε τὸ τρέχω* [Cfr. v. 77, 79], *πέπαιχε τροχίλος εἰπών. ἔστι δὲ καὶ ὄρνεον τροχίλος.* — Postquam Peithetaerus et Euelpides ollis, quas secum apportarunt, vallum exstruxerunt ad avium impetum propellendum, Peithetaerus Euelpidi interroganti, ubinam futurum sit, ut, in pugna interfecti, sepeliantur, ambigue respondet v. 395: *Ὁ Κεραμεικὸς δέξεται νώ.* Nam ollis, quas commemoravi, quasi alterum quendam Ceramicum sibi hoc loco paraverunt. Ac profecto digni sunt, qui in Ceramico sepeliantur, nam: »*Φήσομεν πρὸς τοὺς στρατηγοὺς μαχομένω τοῖς πολεμίοισιν ἀποθανεῖν ἐν Ὀρνεαῖς* [V. 395—99]. Neque hoc minus ambigue dicitur, quoniam vox *Ὀρνεαί* et nomen est urbis illius Peloponnesiae, ad quam paullo ante — non pugnatum erat [Cfr. Kock. ad v. 399 annot], et avium urbem, in qua nunc

versantur, significare potest. Haec omnia paucis verbis scholiastes optime explicat: *Ἔπαιξεν εἰς τὴν χύτραν. ἀντὶ τοῦ ἐνταῦθα ὀρυχθήσομαι, ἐπεὶ οἱ ἐν πολέμῳ ἀναιρούμενοι ἐν τῷ Κεραμεικῷ ἐθάπτοντο. — Παρὰ τὰ ὄρνεα ἔπαιξεν. ἔστι δὲ τῆς Ἀργείας πόλις . . . . . ἴσως δέ, ὅτι ἐν Ὀρνεαῖς μάχη ἐγένετο Λακεδαιμονίων καὶ Ἀργείων.* Transeamus ad v. 764 sq: *Εἰ δὲ δοῦλός ἐστι καὶ Κὰρ ὥσπερ Ἐξηκεστίδης, φυσάτω πάππους παρ' ἡμῖν, καὶ φανοῦνται φράτερες,* quae verba in scholio Euphronius optime hoc modo explicat: *Εὐφρόνιός φησι πάππον ὄρνεόν τι εἶναι. πρὸς τὸ ὄνομα οὖν παίζει, ὅτι εἰ ἀναβάς τις πρὸς ἡμᾶς γεννήσεται πάππους* [1]) *ἕξει ἀποδεικνύναι φράτορας, ὅ ἐστι συγγενεῖς. οἱ γὰρ εὐθυνόμενοι ὡς ξένοι ὀφείλουσι τοὺς ἰδίους πάππους ἀποδεικνύναι ἐκ φρατρίας ἄνωθεν ὄντας.* Homini igitur peregrino, qui avos, quos habere debet, non habet, suadet chorus, ut pappus avis fiat et procreet liberos; qui cum ipsi pappi i. e. avi sint, fore, ut habeat suos ipsius avos [»*τοὺς ἰδίους πάππους*«]. Hac ratione fit, ut liberi sint parentis avi. — V. 599 sqq. Peithetaerus affirmat omnes thesauros obrutos avibus notos esse, nam »*λέγουσι δέ τοι τάδε πάντες· οὐδεὶς οἶδεν τὸν θησαυρὸν τὸν ἐμὸν πλὴν εἴ τις ἄρ' ὄρνις.* Quae verba quomodo explicanda sint, veram viam monstrat scholiastes cum dicit: *Παροιμία τοῦτο, οὐδεὶς οἶδε τί ὡμίλησα, πλὴν ὁ παριπτάμενος ὄρνις. τοῦτο ἐλέγετο ἐπὶ τῶν ἀγνώστων.* Nam cum Graeci dicunt *οὐδεὶς οἶδεν τὸν θησαυρὸν πλὴν ὁ παριπτάμενος ὄρνις*, significant neminem esse, qui sciat. [Cfr. nostrum: Das weiss der Kukuk.] Contra Peithetaerus ex hac loquendi consuetudine aves omnia scire ridicule colligit. — Cum sycophanta de hirundinibus aliisque avibus aestivis multa loquatur, Peithetaerus opinatur v. 1416—17 verba pertinere ad sycophantae vestem, quae »*δεῖσθαι ἔοικεν οὐκ ὀλίγων χελιδόνων*«.

[1]) Hoc scripsisse Euphronium, non quod apud Duebnerum legatur: *γενήσεται πάππος*, mihi persuasum est. Nam in optimis codd. Rav. et Ven. non *πάππος* legitur sed *πάππους*, neque Aristophanes ipse dicit: fiat pappus sed *φυσάτω πάππους* i. e. procreet pappos. Nam quod Kockius statuit verbum *φύειν* hoc loco eodem sensu usurpari, quo dicatur *φύειν πτερὰ κτλ.*, non recte dicere videtur, quia, quantum equidem video, verbum *φύειν* illo sensu non dicitur nisi de rebus, quae ad corpus spectant velut *φύειν πτερά, ὀδόντας, τρίχας* etc. Cui sententiae non obstat Ran v. 418: *ὃς ἑπτέτης ὢν οὐκ ἔφυσε φράτερας*, quoniam hoc loco verbum *φύειν* tantum ad eum finem usurpatur, ut *παρὰ προσδοκίαν* dicatur *ἔφυσε φράτερας* pro *ἔφυσε ὀδόντας*.

Vestis enim sycophantae tam attrita et pannosa est, ut multis hirundinibus i. e. adulto vere [Cfr. Kock. annot.] indigeat, quoniam, ut est in proverbio, una hirundo ver non efficit. Idem scholiastes contendit. *Ἐπεὶ συνεχῶς χελιδόνας λέγει, τοιοῦτόν τί φησιν · ἔαρος χρῄζει. παλαιὸν γὰρ χιτῶνα ἔχει· μετείληφε δὲ τὸν νοῦν τῆς παροιμίας· μία χελιδὼν ἔαρ οὐ ποιεῖ.* — V. 499 sqq. Peithetaerus milvum dicit olim omnium Graecorum regem fuisse. Hoc ea ex re intelligi posse, quod, milvo veris tempore in Graeciam rediente, omnes se prosternant et humi volutentur. Quod certe lepidissimum argumentum est. Nam quod re vera homines faciunt gaudio veris advenientis exsultantes, id eos ad eum finem facere per iocum simulat, ut milvum adorent. Similia affert scholiastes: *Ἔαρος ἀρχομένου ἰκτῖνος φαίνεται εἰς τὴν Ἑλλάδα . ἐφ' ᾧ ἡδόμενοι κυλίνδονται ὡς ἐπὶ γόνυ. παίξας οὖν ὡς βασιλεῖ φησι τὸ κυλινδεῖσθαι . ἴδιον γὰρ βασιλέως τὸ γονυπετεῖσθαι ὑπὸ ἀνθρώπων.* — Fere eadem est ratio versuum 486—'87, ubi Euelpides gallum quondam regem Persarum fuisse ex ea re colligit, quod, cum ceterae aves cristas demissas habeant, unius galli crista stet celsa et erecta. Quod ad morem aliquem Persarum pertinere recte contendit scholiastes: *Τοῦτο ἐξ ἱστορίας εἴληφε. πᾶσι γὰρ Πέρσαις ἐξῆν τὴν τιάραν φορεῖν, ἀλλ' οὐκ ὀρθήν, ὡς Κλείταρχος ἐν τῇ δεκάτῃ. μόνοι δὲ οἱ τῶν Περσῶν βασιλεῖς ὀρθαῖς ἐχρῶντο.* — Atheniensium mos erat victimarum linguas exsecare, ut darentur sacrificiorum praeconibus[1]). Chorus autem v. 1702—1705 ridicule fingit hoc eam ob causam fieri, quod oratores linguis tanta flagitia committant: *Κἀπὸ τῶν ἐγγλωττογαστόρων ἐκείνων τῶν Φιλίππων πανταχοῦ τῆς Ἀττικῆς ἡ γλῶττα χωρὶς τέμνεται.* Quae verba Didymus in scholio recte hoc modo interpretatur: *Δίδυμος δὲ· ἐν ταῖς θυσίαις χωρὶς ἡ γλῶττα ἐτέμνετο . . . . . ἐγένετο δὲ τοῦτο δι' ἄλλην αἰτίαν. οὕτως* [Lege: *οὗτος*] *δὲ βούλεται λέγειν, ὅτι ἐξεβλήθη ἐκ τῶν σπλάγχνων διὰ τοὺς ῥήτορας ἡ γλῶσσα, ἐπεὶ ταύτῃ τοὺς ἄλλους κακοποιοῦσιν.* — V 1482 sqq. hoc fere narratur: »In recessu aliquo Athenarum urbis »*ἐν λύχνων ἐρημίᾳ*« versatur quidam. Nomen ei est Oresti et ut Agamemnonis filius heros est. Interdiu quidem mortalibus familiariter utitur, sed qui noctu ei obviam fiunt, non secus atque alii qui, in heroes incidentes, *ἀποπληξίᾳ* corripiuntur, apoplecti fiunt —

[1]) Cfr. Kock. ad v. 1705 annot. et schol. Plut. v. 1110.

fusti«. Revera enim Orestes latro erat, qui viatores noctu opprimebat et omnibus rebus spoliabat. Verba haec sunt: *Ἔστι δ' αὖ χώρα πρὸς αὐτῷ τῷ σκότῳ πόρρω τις ἐν τῇ λύχνων ἐρημίᾳ, ἔνθα τοῖς ἥρωσιν ἄνθρωποι ξυναριστῶσι καὶ ξύνεισι πλὴν τῆς ἑσπέρας. τηνικαῦτα δ' οὐκέτ' ἦν ἀσφαλὲς ξυντυγχάνειν. εἰ γὰρ ἐντύχοι τις ἥρῳ τῶν βροτῶν νύκτωρ Ὀρέστῃ, γυμνὸς ἦν πληγεὶς ὑπ' αὐτοῦ πάντα. τἀπιδέξια.* Quamquam scholium huic loco ascriptum valde corruptum et obscurum est, tamen scholiastam iocum recte percepisse is facile videbit, qui singula respiciet: *Ἥρωα αὐτόν φησι διὰ τὴν ὁμωνυμίαν τὴν πρὸς Ἀγαμέμνονος υἱὸν Ὀρέστην. οἱ ἥρωες δὲ δυσόργητοι καὶ χαλεποὶ τοῖς ἐμπελάζουσι γίνονται .... οὐδ' ἥρωσιν εἰς τοῦτο δύναμιν, ἀλλ' ἀποπλήκτους μὲν ποιεῖν δύνανται ...... ὁ δὲ Ὀρέστης λωποδύτης.* — Peithetaerus et Euelpides a via ad aves ferente aberraverunt. Quam] ob rem Euelpides in exsecrationem illam: *Εἰς κόρακας* [Cfr. v. 990 iocans exclamat v. 27—28: Ceteri homines invitissimi *εἰς κόρακας* abeunt; nos qui omni studio contendimus, ut *εἰς κόρακας* perveniamus, viam reperire non possumus. Nonne hoc incredibile est et inauditum? Scholiastes breviter quidem sed recte hoc annotat: *Παίζει ἐπεὶ εἰς τὰ ὄρνεα βούλεται ἀπελθεῖν.* — V. 38 *Παρὰ προσδοκίαν* Euelpides dicit Atheniensium urbem esse *πᾶσι κοινὴν—ἐναποτῖσαι χρήματα.* Scholiastae verba haec sunt: *Παρ' ὑπόνοιαν ἀντὶ τοῦ ἐμβιῶναι καὶ ἐνοικεῖν εἶπεν ἐναποτῖσαι χρήματα, εἰς τὸ φιλόδικον τῶν Ἀθηναίων, ὅτι συκοφαντούμενοι πολλοὶ ἀπέτινον χρήματα.* Denique etiam leviora ioca scholiastae et argute percipiunt et diligenter annotant, velut ad Neptuni verba v. 1614 *Νὴ τὸν Ποσειδῶ, ταῦτά γέ τοι καλῶς λέγεις* recte scholiastes dicit: *Καὶ γελοίως καθ' ἑαυτοῦ ὄμνυσιν*; et ad Herculis verba v. 1638 *Ὦ δαιμόνι' ἀνθρώπων Πόσειδον*: *Παίζει, δέον εἰπεῖν τῶν θεῶν.* 'Saepius etiam res Athenienses in deorum civitatem ridicule transferuntur velut v. 1669, ubi Peithetaerus Herculem interrogat: *Ἤδη σ' ὁ πατὴρ εἰσήγαγ' ἐς τοὺς φράτερας;* Scholium hoc dicit: *Πάλιν ὡς ἐν κωμῳδίᾳ μετήγαγε τὰ Ἀθηναίων ἔθη ἐπὶ τοὺς θεούς.* E Neptuni verbis v. 1570 *Ὦ δημοκρατία, ποῖ προβιβᾷς ἡμᾶς ποτε* apparet etiam Atheniensium imperium populare iam ad deos immortales ascendisse, atque ad hunc quoque versum scholiastes recte annotat: *Ἔμιξεν* [*ἔπαιξεν*?] *ὡς ἐπὶ Ἀθηναίων.* Eiusmodi ioca a scholiastis recte et percepta et explicata exstant sexcenta, quae

omnia enumerare longum est. Exempla, quae attuli, satis aperte demonstrant in scholiis multa de iocis exposita inesse quae cognitu admodum digna sint. Quae cum ita sint, eo magis mirabimur, si alias inveniemus explicationes, quae perversissimae et plenae sint ineptiarum. Cuiusmodi sunt, quae de Euelpidis verbis v. 13 *Ἦ δεινὰ νὼ δέδρακεν οὐκ τῶν ὀρνέων* Didymus exhibuit: *Δίδυμος δὲ, δεινὰ φάσκειν αὐτοὺς ἐκ τῶν ὀρνέων πεπονθέναι, ἐπεὶ Ὀρνεαὶ τῆς Λακωνικῆς εἰσι. πρὸ δὲ ἐτῶν δ' κακῶς περὶ Μαντίνειαν ἀπήλλαξαν, ὡς καὶ τοὺς στρατηγοὺς ἀποβαλεῖν Λάχητα καὶ Νικόστρατον, καθὰ καὶ Ἀνδροτίων φησίν.* Contendit igitur Didymus hoc: Cum quatuor ante annos Athenienses ad Mantineam gravem cladem a Lacedoemoniis acceperint, et Lacedaemoniorum urbs Orneae sint, hoc loco Euelpides ambigue dicit se malum perpessos esse *ἐκ τῶν ὀρνέων*. Hoc vero altius repetitum esse profecto nemo est quin videat. Accedit, quod omnino non Lacedaemoniorum sed Argivorum urbs Orneae sint. Aliam ambiguitatem inesse in verbis Peithetaeri v. 1589: *Ἔλαιον οὐκ ἔνεστιν ἐν τῇ ληκύθῳ* inepte is contendit, qui dicit: *Ἀντὶ τοῦ · οὐκ ἐλεοῦμεν, οὐ πειθόμεθα* (!). De Euelpidis verbis V. 102 *Τηρεὺς γὰρ εἶ σὺ; πότερον ὄρνις ἢ ταῶς;* scholiastes hoc dicit: *Ὁ μῦθος δὲ λέγει τὸν Ἄργον εἰς ταῶνα μεταβεβλῆσθαι. διὰ τοῦτό φησι· πότερον ὄρνις εἶ σὺ ὁ λεγόμενος Τηρεὺς παρὰ τὸ τηρεῖν τὴν Ἰὼ ἢ ταῶς,* qua sententia certe nulla potest esse insulsior. Nam si hoc recte dixisset scholiastes, interrogationis hic ineptus evaderet sensus: Utrum es pavo custos ille Ius, an — pavo? — Peithetaero dubitanti, num sint dii barbari, respondet Prometheus v. 1525 sq: *Οὐ γάρ εἰσι βάρβαροι, ὅθεν ὁ πατρῷός ἐστιν Ἐξηκεστίδῃ;* Profecto argumentum praestantissimum! Cum omnes homines suum quisque habeant deum *πατρῷον*, apparet etiam Execestidem habere suum deum *πατρῷον*. Atqui cum Execestides barbarus sit, etiam eius *πατρῷον* deum barbarum esse necesse est. Ergo sunt dii barbari, id quod erat demonstrandum. Quam sententiam tam apertam et dilucidam ne suspicione quidem assequi scholii auctorem demonstrant verba: *Ὅτι κατ' ἔλλειψίν ἐστι τοῦ Ἀπόλλωνος. δέον γὰρ εἰπεῖν ὁ πατρῷος Ἀπόλλων ἢ ἄλλος τις τῶν θεῶν.* — Ad chori verba v. 1074: *Ἤν τε τῶν τυράννων τίς τινα τῶν τεθνηκότων ἀποκτείνῃ, τάλαντον λαμβάνειν* hoc exstat scholium: *Ἐν τοῖς ὑπομνήμασιν οὕτω γέγρα-*

πται· ἐν ὑπερβολῇ καὶ τοὺς τεθνηκότας ἀποκτείνειν ὥστε μηδ' ἐν [1])... πλαγιάζονται δὲ ἐν τῇ ἀμφιβολίᾳ. λέγει γάρ, ἐὰν τίς τινα τῶν τοῖς τυράννοις προσηκόντων ἀποκτείνῃ, τάλαντον λήψεται· οἷον γύναιον, ἀδελφόν, τέκνον, τοὺς συνωμοσίους καὶ συμπράξαντας τῇ τυραννίδι. Vera verborum sententia scholiastam prorsus fugit. Perstringitur enim Atheniensium furor ille, quo correpti illis temporibus ubique tyrannidis appetentes deprehendere studebant, qui nusquam aderant. Eam ob causam chorus dicit Athenienses studere mortuos tyrannos interficere. V. 821 Euelpides dicit: Ἆρ' ἐστὶν αὑτηγὶ Νεφελοκοκκυγία, ἵνα καὶ τὰ Θεογένους τὰ πολλὰ χρήματα τά τ' Αἰσχίνου γ' ἅπαντα; Quae verba significant illas Theogenis et Aeschinis magnas opes nusquam exstare, nam Nubicuculia urbs est a poëta ficta, quae re vera nusquam est. Sequuntur Peithetaeri haec verba: Καὶ λῷστον μὲν οὖν τὸ Φλέγρας πεδίον, ἵν' οἱ θεοὶ τοὺς γηγενεῖς ἀλαζονευόμενοι καθυπερηκόντισαν. Quibus in verbis, quamquam illud καὶ λῷστον μὲν οὖν valde corruptum est neque ego video, quomodo emendari possit, tamen mea quidem sententia non alius sensus inesse potest nisi hic: Non sunt eorum opes in Nubicuculia, sed verisimilius est eas esse in campo Phlegraeo, ubi iactando olim et gloriando dii Gigantes superarint. Hoc in campo, qui gloriosorum arena est, etiam Theogenis et Aeschinis, hominum vaniloquorum, apte collocantur fictae opes. Quod scholiastes ad hunc locum contendit: Ἔξωθεν ὑπακουστέον τὸν ἢ διαζευκτικὸν σύνδεσμον. βέλτιον, φησί, πιστεύειν τὰ χρήματα τούτων ἐν Νεφελοκοκκυγίᾳ ἀποκεῖσθαι, ἢ εἰς τὸ Φλέγρας πεδίον. διαβάλλει δὲ αὐτὸ ὡς κἀκεῖνο πεπλασμένον ὑπὸ τῶν ποιητῶν, absurde dicitur atque ac Didymi sententia, quae paullo post affertur: Δίδυμος δέ φησι· διὰ τὴν ὁμοιότητα τῶν ὀνομάτων τῆς Φλέγρας καὶ Νεφελοκοκκυγίας. — locum versus 16: ὃς [i. e. Τηρεύς] ὄρνις ἐγένετ' — ἐκ τῶν ὀρνέων, quod παρὰ προσδοκίαν dicitur pro ἐξ ἀνθρώπου, nemo adhuc concoxit. Qua re haud improbabile est hoc loco librarii mendum latere. Quae scholiastae attulerunt, plena sunt ineptiarum: Οἱ μὲν φασιν αὐτὸν διασύρειν τὸν Αἰσώπειον λόγον καὶ δέον εἰπεῖν τῶν ἀνθρώπων, λέγειν ἐκ τῶν ὀρνέων. οἱ δὲ οὕτως· ὃς ἔφασκε μᾶλλον

[1]) Lacunam Schneid. De scholl. in Aristoph. fontibus p. 21 explet his verbis Ἅιδου σώζεσθαί τινα.

τῶν ἄλλων ὀρνέων δύνασθαι προηγήσασθαι τῆς ὁδοῦ καὶ δεῖξαι ἡμῖν αὐτὸν ἐκ τῶν ὀρνέων οἷον ἐκ τοῦ συστήματος τῶν ὀρνέων ἐν τάυτῷ ὄντων .... καὶ διαιροῦσί τινες καὶ προστιθέασι τὸ ἑξῆς τὸ ἐκ τῶν ὀρνέων ἀπέδοτο τὸν κολοιὸν καὶ τὴν κορώνην. (!) — Upupa inter alias aves in orchestram involantes etiam noctuam monstrante Euelpides iocans in proverbium pervulgatum exclamat v. 301: *Τί φής; τίς γλαῦκ' Ἀθήναζ' ἤγαγεν;* Quibus verbis cum res non Athenis fieri poëta fingat sed Nubicuculiae, risus movendi causa spectantium animi a rebus comoediae fictis subito revocantur ad veram rerum conditionem; atque hoc iocorum genus est, quod non minus apud antiquae comoediae auctores usitatum erat quam apud comicos nostri aevi. Ita, ut exemplum afferam, Ran. v. 297 Bacchi sacerdos, qui sedebat inter spectantes, ab histrione invocatur, qui Bacchi partes agit. Deinde Pac. v. 1020 Trygaeus hostiam post scenae parietes immolaturus est »χοὔτω τὸ πρόβατον τῷ χορηγῷ σώζεται«. Is vero qui ad nostrum locum dicit: *Τὸ δὲ χ, ὅτι ἤλλαξε τὸ τοπικόν. ἔδει γὰρ ἐξ Ἀθηνῶν, οὐκ εἰς Ἀθήνας εἰπεῖν* certe iocum non percepit, nam signum χ iis locis apponere solebant veteres, qui iis aliquid offensionis habere videbantur.[1]) Deinde ioca nonnulla, quae posita sunt in simili sonu diversorum vocabulorum, silentio praeterierunt. Ita ad Peithetaeri verba v. 1546: *Μόνον θεῶν γὰρ διὰ σ' ἀπανθρακίζομεν*, ubi *ἀπανθρακίζειν* ridicule dici pro *ἀπανθρωπίζειν* Kockius recte annotat, scholiastae nihil dicunt nisi hoc: *Ὀπτὰς ἐσθίομεν. ἢ ἄνθρακας ζωπυροῦμεν. ὡς ἐν κωμῳδίᾳ δὲ τοῦ εὐτελεστάτου ἐμνήσθη, ἐπὶ ἄλλων μέγιστα ἰσχύοντος τοῦ πυρός.* Neque iocum qui mihi inesse videtur in verbis v. 1378: *Ἀσπαζόμεσθα φιλύρινον Κινησίαν* scholiastes neque Kockius commemorat. Non dubito quin hoc loco per iocum dicat *φιλύρινον Κινησίαν* pro *φιλόλυρον Κινησίαν*. — Denique hoc loco occasione data paullo accuratius inquisiverim in versus 281—83, quos neque veteres neque recentiores interpretes recte mihi explicasse videntur. Euelpidi enim miranti, quod duae upupae in scena adsint, Tereus-Epops hoc respondet: *Ἀλλ' οὗτος μέν ἐστι Φιλοκλέους*[2]) *ἐξ ἔποπος,*

---

[1]) Cfr. F. Stoecker. De Sophoclis et Aristophanis interpretibus Graecis. pag 13. Idem signum occurrit scholl. Av. 76, 107.

[2]) Constat Philoclem Terei et Procnes fabulam in tetralogia aliqua pertractasse.

ἐγὼ δὲ τούτου πάππος, ὥσπερ εἰ λέγοις Ἱππόνικος Καλλίου κἀξ Ἱππονίκου Καλλίας. Quibus de verbis Dobraeus [1]) hoc exponit: »Sensus videtur esse: ego sum Sophoclis Epops; cuius filius fuit Philoclis Epops; cuius filius est hic Epops, de quo loquimur: ergo sum huius avus«. Sed huic Dobraei sententiae duae videntur obstare gravissimae res. Primum nimis multi Epopes in auxilium vocantur; nam cum satis sit unum Epopem Sophoclis filium appellare, alterum Philoclis, quid sibi vult tertius ille Epops, quem Dobraeus statuit natum esse ex Epope Philoclis? Prorsus supervacaneus est. Deinde, si Dobraei sententiam sequimur, tres habemus Epopes, primum, qui est Sophoclis, alterum, qui est Philoclis, tertium Epopem, qui est Philoclis Epopis filius. Quomodo his respondent Callias—Hipponicus—Callias? Quorum ratio utique postulat et duos Epopes, qui Calliae avo et Calliae nepoti respondeant et tertium aliquem, unius Epopis filium, alterius patrem, cui aliud nomen sit, ut Hipponico respondere possit. Neque quod Brunkius [Cfr. Kock. annot.] Epopem dicentem facit Epopem minorem esse filium Philoclis, Epopis nepotem, se vero postremi huius Epopis, cuius non nominetur pater, avum esse, recte se habet, quoniam etiam hac ratione tres exsistunt Epopes: Epops—Philocles—Epops — ? — Epops, e quibus is, qui postremo loco nominatur, supervacaneus est. Iam exponam, quid ipse sentiam. Redeo ad versionem Hemsterhusii, de qua Dobraeus hoc dicit: »Vertit Hemsterhusius quasi esset *τοῦ 'ξ Ἔποπος*, et hoc fortasse verum: hic est filius Philoclis ex me (Epope) prognati; ut statuamus Epopem minorem esse ipsum Philoclis Terea.« Hanc sententiam si sequimur, hoc dicit Epops maior: Hic est filius Philoclis [*οὗτος μέν ἐστι Φιλοκλέους*] qui ipse est filius Epopis [*ἐξ Ἔποπος = τοῦ 'ξ Ἔποπος*]; ego vero avus sum huius [i. e. Epopis minoris in scena astantis, quem, cum hoc dicit, digito monstrat]. Hac ratione Philocles Epopis minoris pater est et filius Epopis maioris, ut Hipponicus pater est Calliae minoris et filius Calliae maioris, qua de causa etiam Euelpides haec Epopis verba paullo obscuriora non recte intelligens [scilicet *ὡς ἐν κωμῳδίᾳ*] opinatur v. 284 Epopem minorem ipsum esse Calliam minorem. Iam oritur quaestio quem ad

[1]) Cfr. Kock. ad. h. l. annot.

finem hac, quam exposui, ratione poëta noster Philoclem e patre scenici, ut ita dicam, Epopis patrem veri et naturalis Epopis reddiderit, vel ut aliter dicam, quem ad finem Philoclem prorsus famíliae upuparum inseruerit. Neque hoc difficile est intellectu. Nam cum hoc loco upupa et Av. v. 1295 alauda cristata appelletur Philocles, eundemque corpore deformi fuisse Thesmoph. v. 168 doceat, iam apparet eum corporis vitio aliquo deformatum fuisse, quod eum et upupae et alaudae cristatae similem reddiderit. Cum vero et upupae et alaudae caput [Cfr. Av. v. 94; Kock. ad v. 302 annot] magna pennarum crista insigne sit, etiam Philoclis capiti mihi persuasum est vitium adhaesisse, quod cristae sive upupae sive alaudae simile fuerit. Hoc igitur capitis vitium et hoc loco et v. 1295 irridetur.[1] Hac ratione verba, quae Kockius in dubio reliquit, mihi videntur explicanda esse. Similia vero iam ab auctore veteris alicuius commentarii exposita esse videntur, cum in scholio hoc legatur: *Ἐν ἐνίοις ὑπομνήμασιν ὅτι προκέφαλός ἐστιν ὁ Φιλοκλῆς ὡς ὁ ἔποψ.* Sed improbatur ab alio interprete: *ἀλλ' οὐδαμοῦ κεκωμῴδηται*, et alia affertur inepta sententia: *Ὁ Σοφοκλῆς πρῶτον τὸν Τηρέα ἐποίησεν, εἶτα Φιλοκλῆς, διὰ τοῦτο δὲ εἶπεν, ἐγὼ δὲ πάππος, ἀντὶ τοῦ πρὸ αὐτοῦ ἐγράφην, τοῦτο δὲ θέλων κωμῳδῆσαι Καλλίαν ὡς ἀπολέσαντα πάντα τὰ χρήματα.*

Iam huic toti dissertationis parti finem faciamus. Videmus et omnia interpretis munera scholiastas suscepisse et ubique excepta arte critica multa argute et diligenter excogitasse, quae admodum digna sint, quae a nobis respiciantur; rursus alia tam inepte annotata invenimus, ut eos qui excogitarint, paene dixeris sana mente caruisse. Quae cum ita sint, illa conieceris fluxisse ex ingeniis veterum grammaticorum celeberrimorum, ut Aristarchi, Aristophanis, Callistrati, Didymi etc., haec additamenta esse Graeculorum medii aevi. Sed hoc non possumus universe statuere, quoniam etiam illos grammaticos saepius in graves errores incidisse scholia aperte demonstrant. Ita Aristophanes post v. 1342 versum excidisse existimans valde errat [Cfr. pag. 3—4], neque quod Symmachus de voce *κεβλήπυρις* in duas voces dividenda opinatur, recte se habet [Cfr.

---

[1]) Simile aliquid iam Fritzschium ex uno verso 1295 collegisse Kockius dicit in annot. ad v. 281.

pag. 4] Omnium autem vehementissime Didymus erasse videtur, ut intelligi potest ex iis, quae ad v. 13 [Cfr. pag. 23], ad v. 824 [Cfr. pag. 24], ad v. 1121 [Cfr. pag. 16], ad v. 1681 [Cfr. pag. 6], exposuit. Haec tam perversa sunt, ut, cum omnium consensu Didymus in numero principum in civitate litteraria habeatur, credere cogamur eum comoediarum studia leviter tantum attigisse. Alii alia falso annotarunt. Itaque, quamquam satis multis locis scholiastarum annotationibus adiuvamur, tamen si omnes explicationes, quae soli ingenii acumini debentur, oblivione obrutae nobis non servatae essent, haud ita grave damnum maereremus neque Aristophanis interpretatio minus floreret, cum ingenii acumine recentiores veteribus interpretibus non inferiores esse videantur. Neque igitur in his annotationibus, sed in aliis magnum scholiorum pretium positum est, quod scholia habere iure meritoque omnes consentiunt.

Pars II.

De scholiastarum rerum scientia.

Alterum quod Aristophanis interpretibus dixi inesse debere, scientia est earum rerum, quas audientibus vel legentibus notas esse poëta voluit. Quarum gravissimae hae sunt: primum vocabula, quae, cum in vita quotidiana potissimum comoediae versentur, saepius alia sunt ac quae apud ceteros scriptores leguntur; deinde res publice gestae, tum Atheniensium ceterarumque civitatum instituta publica, tum instituta privata, denique omnia, quae ad Graecorum litteras pertinent. Ea omnia in quaestionem vocare meum est. Sed ne ultra legitimos huius modi dissertationum fines egrediar, ea, quae de verborum significatione attulerunt, quamquam cognitu admodum digna sunt, omittere cogor. Statim ad ea transgrediar, quae ex historia omnium rerum Graecarum adiecerunt, cum breviter haec praemonuero. Quae de rebus publice gestis exposita in scholiis invenimus, haud ita magni momenti sunt, quoniam res, quas temporibus belli Peloponnesiaci [et de his potissimum apud Aristophanem sermo est] Athenienses publice gesserunt, et diserte et vere Thucydides nobis enarravit. Multo pluris ea aestimanda sunt, quae tradiderunt de Atheniensium institutis et publicis et privatis, de quibus mirum est veterum scriptorum silentium; nec minus obscurae sunt multae res, quae ab Aristophane tanguntur, ad historiam litterariam pertinentes. Itaque de his rebus quae exposuerunt, cum vel maximum momentum scholiis nostris afferant, nunc in quaestionem vocabimus. Cum vero in hominibus, qui ab Aristophane nominantur, describendis propriam ac peculiarem rationem secuti esse videantur, eas scholiastarum annotationes separatim a ceteris pertractabimus.

§ 5.

Qua ratione ac fide homines ab Aristophane nominatos descripserint scholiastae.

Aristophanem sexcentis locis permultos homines acerbis facetiis irrisisse constat, quorum pauci tantum summa apud Graecos auctoritate floruerint, plurimi non tantis virtutibus inter ceteros eminuerint, ut memoria eorum per Graeciam pervulgata sit. Qua re non mirum est, quod de his, cum mox oblivione obruti sint, nihil ad nos pervenit nisi id, quod apud ipsum Aristophanem legimus; atque hoc quoque haud raro perobscurum est, quoniam non posterioribus saeculis fabulas scripsit Aristophanes sed suae aetatis civibus Atheniensibus, quorum quidem omnium in ore illi homines sine dubio fuerunt. Accedit, quod Aristophanes etiam tum, cum homines propter res publice gestas nobis quoque notos commemorat, plerumque non eas res ab iis publice gestas tangit sed vitam eorum privatam, quam ignoramus. Qua re fit, ut multa de eiusmodi hominibus nobis a poëta obscure dicta esse videantur. Iam oritur quaestio, quam rationem in illis hominibus describendis veteres interpretes secuti sint. Ac Stoeckerus [1]) quidem talia multa iam ipsis Aristophanis temporibus contendit singulis comoediarum locis addita esse. Nam hoc si non factum esset, multa de hominibus alioquin obscuris in scholiis narrata numquam nostram aetatem visura fuisse. Sed exempla neque affert neque eum credo afferre potuisse. Nam quas exhibent scholiastae eiusmodi explicationes, ad eos tantum pertinent homines, qui alii aliis virtutibus ita floruerunt, ut eorum memoriam a veteribus scriptoribus posteritati propagatam esse aut manifestum sit aut verisimile. Eiusmodi sunt, quae ad v. 11 de Execestide citharoedo quodam satis bono e Polemonis libello, quem de Eratosthene Athenis versante conscripserat, [2]) afferuntur: *Μέμνηται δὲ αὐτοῦ καὶ Πολέμων ἐν τῷ δευτέρῳ περὶ τῆς Ἀθήνησιν Ἐρατοσθένους ἐπιδημίας λέγων, ὁ δὲ Ἐξηκεστίδης κιθαρῳδὸς πυθιονίκης, νικᾷ δὲ καὶ τὸν τῶν Καρνείων ἀγῶνα τὸν ἐν Λακεδαίμονι καὶ Παναθήναια δίς.* Deinde de Philocle poëta tragico scholiastes pauca narrat ad v. 281: *Ἔστι δὲ ὁ Φιλο-*

---

[1]) De Sophoclis et Aristophanis interpretibus Graecis. pag. 2.

[2]) De hoc libello cfr. pag. 39.

κλῆς τραγῳδίας ποιητής, καὶ Φιλοπείθους υἱὸς ἐξ Αἰσχύλου ἀδελφῆς κτλ. — Laespodiam quendam v. 1569 nominatum Atheniensium ducem fuisse scholiastes e Thucydide hausit. Verba haec sunt: Τοῦτον δὲ τὸν Λαισποδίαν καὶ στρατηγῆσαί φησι Θουκυδίδης ἐν ῃ. De Aristocrate Scelliae filio v. 126 commemorato hoc legitur in scholio: Παρὰ τὸ ὄνομα πέπαιχεν, ἐπεὶ Ἀριστοκράτης Σκελλίου ἦν υἱός, ὃν ὁ ῥήτωρ Δημοσθένης ἔγραφεν. Tum ad v. 750, ubi Phrynichi poëtae tragici mentio fit, pauca exponuntur de quatuor hominibus, quibus nomen Phrynicho fuerit: Τέσσαρες δὲ ἐγένοντο Φρύνιχοι. ὁ μὲν εἷς, οὗ νῦν μνημονεύει, Πολυφράδμονος παῖς, ποιητὴς ἡδὺς ἐν τοῖς μέλεσιν. ὁ δὲ ἕτερος, Χοροκλέους παῖς, ὑποκριτής, τρίτος Φρύνιχος ὁ κωμικός........ τέταρτος δέ ἐστιν Ἀθηναῖος τὸ γένος ὁ στρατηγήσας τὰ περὶ Σάμον καὶ Ἀστυόχῳ προσθέμενος, ἐπιχειρήσας δὲ τῇ τοῦ δήμου καταλύσει. Deinde Lamponem v. 521 commemoratum scholiastes dicit urbis Thurinorum condendae auctorem fuisse: Ὁ δὲ Λάμπων θύτης ἦν καὶ χρησμολόγος καὶ μάντις, ᾧ καὶ τὴν εἰς Σύβαριν τῶν Ἀθηναίων ἀποικίαν ἔνιοι περιάπτουσιν, αὐτὸν ἡγήσασθαι λέγοντες Ἀθηναῖον ὄντα σὺν ἄλλοις θ'... ἔτυχε δὲ καὶ τῆς ἐν πρυτανείῳ σιτήσεως. De Metone geometra in schol. v. 997 e Philochoro haec afferuntur: Φιλόχορος γὰρ Λευκονοέα φησὶ αὐτόν..... ὁ δὲ Φιλόχορος ἐν Κολωνῷ μὲν αὐτὸν οὐδὲν θεῖναι λέγει, ἐπὶ Ἀψεύδους δὲ τοῦ πρὸ Πυθοδώρου ἡλιοτρόπιον ἐν τῇ νῦν οὔσῃ ἐκκλησίᾳ, πρὸς τῷ τείχει τῷ ἐν τῇ πυκνί. Denique de Diagora, deorum contemptore illo Melio in schol. v. 1073 nonnulla commemorantur, quae e libellis[1]) Melanthii et Crateri petita sunt: Τοῦτο οὖν ἐκήρυξαν κατ' αὐτοῦ Ἀθηναῖοι καὶ ἐν χαλκῇ στήλῃ ἔγραψαν, ὥς φησι Μελάνθιος ἐν τῷ περὶ μυστηρίων..... Ταῦτα ἐκ τοῦ ψηφίσματος εἴληφεν. οὕτως γὰρ ἐκήρυξαν, τῷ μὲν ἀποκτείναντι αὐτὸν τάλαντον λαμβάνειν, τῷ δὲ ἄγοντι δύο. ἐκηρύχθη δὲ τοῦτο διὰ τὸ ἀσεβὲς αὐτοῦ, ἐπεὶ τὰ μυστήρια πᾶσι διηγεῖτο κοινοποιῶν αὐτὰ καὶ μικρὰ ποιῶν καὶ τοὺς βουλομένους μυεῖσθαι ἀποτρέπων, καθάπερ Κρατερὸς ἱστορεῖ. Haec omnia sunt, quae non ex ipsis comicis petita ad vitam hominum illustrandam in scholiis exponuntur, atque haec e libris historicis fluxisse aut auctoris nomine apposito aperte affirmatur aut ea ex re apparet, quod, quaecunque afferuntur, de iis tantum viris dicuntur, qui aut

[1]) De his libellis cfr. pag. 39.

rebus gestis aut litteris floruerunt. Perpauca vero sunt et ea plerumque talia, quae ad ipsa poëtae verba explicanda idonea sint, velut ea, quae de Diagora dicuntur. Omnium vero maxime idoneum ad scholiastarum rationem illustrandam scholium v. 997 est, quod de Metone agit. Nam cum in fabula Metonis haec verba exstarent: *Ἐγὼ Μέτων, ὃν οἶδεν Ἑλλὰς χὠ Κολωνός* et ex iis Euphronius collegisset Metonem ortu Coloneum esse [*Εὐφρόνιος δὲ, ὅτι τῶν δήμων ἦν ἐκ Κολωνοῦ*], alius quidam interpres de hac Euphronii sententia dubitabat, quam ob rem, ut de ea re certior fieret, Philochori librum inspexit itaque Metonem non Coloneum esse cognovit sed Leuconoensem [*Τοῦτο δὲ ψεῦδος. Φιλόχορος γὰρ Λευκονοέα φησὶ αὐτόν*]. Deinde cum Euphronii sententiam falsam esse appareret, Callistratus eodem modo ipsis poëtae verbis commotus coniecit illo loco Metonis esse *ἀνάθημά τι ἀστρολογικόν* [*Φησὶ δὲ Καλλίστρατος ἐν Κολωνῷ ἀνάθημά τι εἶναι αὐτοῦ ἀστρολογικόν.*]. Sed ne hoc quidem vere dictum esse eiusdem Philochori verbis demonstratur. [*Ὁ δὲ Φιλόχορος ἐν Κολωνῷ μὲν αὐτὸν οὐδὲν θεῖναι λέγει, ἐπὶ Ἀψεύδους δὲ τοῦ πρὸ Πυθοδώρου ἡλιοτρόπιον ἐν τῇ νῦν οὔσῃ ἐκκλησίᾳ πρὸς τῷ τείχει τῷ ἐν τῇ πυκνί*]. Quod vero de Lampone dicitur, sane ad verba versus 521 non pertinent; sed cum in scholio Nub. v. 332 fere idem legatur, hoc e scholio Nubium ad nostrum locum transcriptum esse verisimile est, et ad illum Nubium versum sine dubio eum ad finem interpres ea, quae legimus de Lampone urbis Thurinorum condendae auctore, exposuit, ut explicaret vocem *θουριομάντεις*. Itaque interpretes veteres videmus plerumque non nisi coactos libros historicos in auxilium vocasse. Nam multa, quae de Aristocrate e Thucydide et Xenophonte [Ctr. Kock. ad v. 125 annot.] et ex iisdem scriptoribus de Theogene [Cfr. Kock. ad v. 822 annot.] afferre potuerunt, non attulerunt. Quae cum ita sint, iam eam rationem, ut omnibus libris historicis diligenter perlustratis totam hominum vitam eorumque facta accurate exponerent, veteres interpretes apparet sequi noluisse. Maluerunt fontibus uti, ad quos aditus multo faciliores essent. Nam cetera omnia, quae narrentur, ex ipsis comoediis fluxisse, ea ex re facile cognoscitur, quod nihil nisi hominum vitia sive corporis sive animi afferuntur, qualia comici in fabulis perstringere solebant. Eiusmodi sunt, quae de Acestore v. 31, de Telea v. 167, de Sporgilo

tonsore v. 299, de Diitrephe v. 798, de Chaeride v. 858, de Diopithe v. 988, de Lycurgo v. 1294 etc. e comicis afferunt. Neque igitur quales re vera fuissent illi homines, indagare studebant, sed quales comicis visi essent. Ac sane ad verba poëtae explicanda haec ratio accommodatior est, quia, cum saepius plures loci in idem vitium hominis alicuius iocentur, fieri potest, ut alii loci alios illustrent. Quo accedit, quod de hominibus obscurioribus, ut iam supra dixi, rerum gestarum scriptores nihil iis suppeditabant. Itaque plurima ex ipsis comoediis hauserunt, pauca e libris historicis; de Stoeckeri vero explicationibus illis iam ipsis poëtae temporibus appositis *οὐδὲ γρῦ*. Sed haec de fontibus hactenus. Iam quaeritur, quae fides scholiastis habenda sit. Qua in quaestione id potissimum memoria tenendum est comicos, e quibus plurima eos hausisse vidimus, non rerum gestarum scriptores esse, qui omnia ordine exponant, sed multa tam breviter attingere, ut illius aetatis Atheniensibus tantum perspicua fuerint. Qua re facile fieri potest, ut multa e comoediarum locis coniectura perperam collegerint. Ac revera hoc factum esse scholium v. 997 iam supra laudatum demonstrat. Nam fabulae verbis *ὃν οἶδεν Ἑλλὰς χὠ Κολωνός* inducti Euphronius Metonem Coloneum fuisse, Callistratus eum illo in pago *ἀνάθημα ἀστρολογικόν* collocasse falso coniciunt. Tam definitis verbis vero ea, quae coniectura tantum augurantur, dicunt, ut certa esse videantur, ut ex eiusdem scholii verbis cognoscere possumus. Quam ob rem nimis securi nostri aevi viri docti his scholiorum annotationibus credidisse videntur. Nam accuratius in eas inquirenti multa occurrent, quae perperam coniecerint. Pauca in medium proponamus. De Chaeride tibicine, qui v. 858 commemoratur, in scholio hoc legimus: *Ἦν δὲ ὁ Χαῖρις οὗτος κιθαρῳδὸς ψυχρὸς καὶ γέγονεν αὐλητής. μνημονεύει δὲ αὐτοῦ καὶ Φερεκράτης ἐν Ἀγρίοις »φέρ' ἴδω κιθαρῳδὸς τίς κάκιστος ἐγένετο; ὁ Πεισίου Μέλης. μετὰ δὲ Μέλητα τίς; ἔχ' ἀτρέμ', ἐγᾦδα, Χαῖρις.« ἔστι δὲ καὶ ἕτερος αὐλητής, οὗ μνημονεύει Κρατῖνος ἐν Νεμέσει.* Quibus in verbis sententiarum inest quaedam repugnantia, nam cum priore loco Chaeris, qui citharoedus fuerit, tibicen dicatur factus esse, postea Chaeris, qui est tibicen, aperte separatur a Chaeride citharoedo. Fere idem dicunt scholl. Acharn. v. 16; 866, Pac. v. 951 eademque etiam in his scholiis inest repugnantia. Nam in schol. Acharn. v. 16 legimus: *Ὁ δὲ*

Χαῖρις οὗτος κιθαρῳδὸς καὶ αὐλῳδὸς φαῦλος, contra in schol. Pac. v. 951: *Τῶν περὶ τὰς θυσίας αὐλητῶν ἦν ὁ Χαῖρις. ἦν δὲ καὶ ἕτερος κιθαρῳδός.* Unde orta est haec repugnantia? Cur duos Chaerides fuisse, alterum citharoedum alterum tibicinem contendit scholiastes? Causa manifesta est. Quia Pherecrates in versu supra laudato de Chaeride citharoedo loquitur, apud Aristophanem vero l. l. de tibicine Chaeride sermo est, eam ob causam existimavit alium esse Aristophanis Chaeridem tibicinem alium Pherecratis Chaeridem citharoedum. Hoc vero eum perperam coniecisse nemo negabit; nam primum qui fidibus didicerit, eum scire etiam tibiis canere per se probabile est, tum et Chaeridi Pherecratis et Chaeridi Aristophanis idem obicitur, uterque malus musicus est, sive citharam sive tibiam male exercet. Quam ob rem I. Richterus[1]) quoque unum Chaeridem exstitisse existimat, qui et tibicen et citharoedus fuerit. Cfr. etiam W. Ribbeck. Edit. Acharn. Lips. 1864 pag 191.

Ad verba v. 440 sq: *[διαθήκην] ἥνπερ ὁ πίθηκος τῇ γυναικὶ διέθετο, ὁ μαχαιροποιός, μήτε δάκνειν κτλ.* hoc exstat scholium: *Σύμμαχος· Αἰσωπείου λόγου ἢ τοιούτου τινὸς ἔοικε μεμνῆσθαι. Καλλίστρατος δὲ τοσοῦτόν φησιν, ἐκ διηγηματίου τινὸς εἱλκύσθαι. καὶ Δίδυμος, ὅτι αἰσχρός τις ἦν τὴν ὄψιν συνεχῶς τῇ γυναικὶ διαπληκτιζόμενος, συνέθετο ἐπὶ φίλων μήτε τύπτειν κτλ ..... ἔοικε δὲ Παναίτιον κωμῳδεῖν, ὃν καὶ ἐν Νήσοις »καταλιπὼν Παναίτιον πίθηκον«. ἔνθα καὶ μαγείρου πατρὸς αὐτὸν λέγει. πίθηκον δὲ αὐτὸν εἶπε διὰ τὸ πανοῦργον. μαχαιροποιὸν δὲ τὸν μαχαίρας ἐργαζόμενον ὡς μάγειρον. καὶ γὰρ ἐν Νήσοις μαγείρου πατρὸς αὐτόν φησιν. ἢ καὶ αὐτόθι μαχαιροποιόν φησιν. — Ἄλλως. ὁ Παναίτιος μάγειρος μικροφυής ἦν.* Miror, quod hanc sententiam interpretis alicuius et Kockius et Meineckius [Com. II, 2, pag. 1111] sine ulla dubitatione secuti sunt,

---

[1]) I. Richter: De prosopographia Aristophanea II pag. 16—17. Idem vero vir doctus id vere dictum esse existimat, quod legatur in schol Acharn v. 866: *Χαῖρις δὲ αὐλητὴς Θηβαῖος ἄμουσος.* Sed cum nihil aliud de Chaeride sciant, unde eum Thebanum fuisse cognoverunt? Cum in hoc uno scholio hoc affirmetur neque in ceteris scholiis repetatur, vereor, ne ex hoc ipso Acharnensium loco hoc incaute collegerint, ubi tibicines nonnulli Thebani [Cfr. v. 862] *Χαιριδεῖς βομβαύλιοι* appellantur. Quod si recte conieci, omnes concedent huic scholii annotationi omnino nullam fidem habendam esse. Crediderim si re vera Thebanus i. e. peregrinus fuisset, comicos etiam hanc eius peregrinitatem carpturos fuisse aeque ac peregrinitatem Execestidis, Acestoris Spintari etc. [Cfr. v. 11; 31; 764].

cum eam nihil esse nisi vanam coniecturam ipsa scholii verba *ἔοικε δὲ Παναίτιον κωμῳδεῖν* demonstrent, et Symmachus, Callistratus Didymusque se nescire fateantur, quis fuerit hic *πίθηκος ὁ μαχαιροποιός*. Quibus tandem causis commotus interpres nostrum hominem eundem esse existimat ac Panaetium, qui in Insulis commemoretur? Ipsa scholii verba docent; primum quod uterque *πίθηκος* appellatur, tum quod Panaetii pater *μάγειρος* fuit et noster est *μαχαιροποιός*. Sed *πίθηκος* cognomen est, quod multis viris a comoediarum scriptoribus imponitur. Conferas Phrynichi fragmentum quod est in schol. v. 11: *Μεγάλους πιθήκους οἶδ' ἑτέρους τινὰς λέγειν, Λυκέαν, Τελέαν Πείσανδρον Ἐξηκεστίδην κτλ.* Altera vero causa omnino nulla est. Quid enim rei *μαγείρῳ* est cum *μαχαιροποιῷ*? Attamen ex ea re, quod Panaetii pater *μάγειρος* et noster vir *μαχαιροποιός* appelletur, argumentum sibi quaerere interpretem luce clarius est. Vide modo verba, quae sunt in scholio: *μαχαιροποιὸν δὲ τὸν μαχαίρας ἐργαζόμενον ὡς μάγειρον. καὶ γὰρ ἐν Νήσοις μαγείρου πατρὸς αὐτόν φησιν.* Qui vero in fine scholii dicit: *Ἢ καὶ αὐτόθι μαχαιροποιόν φησιν* is certe Insulas suis oculis numquam vidit. Hoc a recentiore interprete, cui illud argumentum non placuerat, per coniecturam additum est, ut, quod ille dixisset, verisimilius fieret. »Aut fortasse«, inquit »Aristophănes in Insulis etiam Panaetium *μαχαιροποιόν* appellavit«. Nam si hoc re vera poëta in Insulis dixisset, nemo, mihi crede, tam stultus fuisset, ut, cum hoc ante pedes esset, illud ineptum argumentum de patre *μαγείρῳ* petitum afferret. — Ad v. 17: *Κἀπέδοτο [ὁ πινακοπώλης Φιλοκράτης] τὸν μὲν Θαρραλείδου τουτονὶ κολοιὸν ὀβολοῦ* scholium de filio Tharrhalidis hoc exponit: *Σύμμαχος· Ἀσωπόδωρον. καὶ γὰρ οὗτος ἐπὶ σμικρότητι ὑπὸ Τηλεκλείδου κεκωμῴδηται, καὶ ὁ κολοιὸς μικρὸς ὢν ἐκ τῶν πτερῶν τὴν σύστασιν ἔχει. Ἄδηλον εἰ Ἀσωπόδωρον λέγει, ὃς κωμῳδεῖται ἐπὶ σμικρότητι σώματος. ἦν δὲ καὶ ὁ Θαρραλείδης μικρός. Ἄλλως. οἱ μὲν πλείους ὑπειλήφασιν υἱόν τινα Θαρραλείδου βραχὺν καὶ παραπλήσιον κολοιῷ κωμῳδεῖσθαι. οὐκ ἔχομεν δὲ υἱὸν αὐτοῦ διὰ τῆς κωμῳδίας εἰπεῖν.* Symmachus igitur Asopodorum contendit filium esse Tharrhalidis, qui hoc loco perstringatur. Sed alii interpretes de hac Symmachi sententia dubitant, alii Tharrhalidis filii comicos omnino nusquam mentionem facere aperte affirmant. Quare suspicio nobis oritur nullis aliis argumentis Symmachum sententiam suam

firmasse neque firmare potuisse praeter id, quod exstet nostro in scholio: *καὶ γὰρ οὗτος ἐπὶ σμικρότητι ὑπὸ Τηλεκλείδου κεκωμῴδηται κτλ.* Nam haec verba argumentum esse sententiae suae Symmachum voluisse dilucide ostendit illud *καὶ γάρ*. Sed argumentum est, quod nihil valet. Nam ex ea re, quod et Asopodorus et Tharrhalidis filius ob exiguam corporis staturam irridentur, profecto non efficitur, ut ipse Asopodorus filius Tharrhalidis sit. Neque omnino corporis exiguitas perstringitur, sed loquacitas filii Tharrhalidis, cum, ut recte Kockius monet, non corporis exiguitate sed loquacitate monedulae insignes sint.[1]) Quam ob rem Kockio Symmachi sententiam veram esse existimanti assentiri non possum. — Pariter atque in his scholiis scholiastae inter se dissentiunt in schol. v. 1073 iam pag. 31 laudato. Nam de Atheniensium in Diagoram decreto quidem omnes e Melanthii et Crateri libris idem tradunt, sed de tempore, quo factum sit hoc decretum, in diversas sententias discedunt, cum unus scholiastes hoc aliquanto post Melum expugnatam factum esse statuat [*Οὗτος μετὰ τὴν ἅλωσιν Μήλου ᾤκει ἐν Ἀθήναις, τὰ δὲ μυστήρια ηὐτέλιζεν κτλ*], alius eodem fere tempore, quo Melos expugnata sit, Diagoram eiectum esse opinetur [*Ἐκκεκήρυκται δὲ μάλιστα ὑπὸ τὴν ἅλωσιν τῆς Μήλου*]. Ante expeditionem vero in Melum insulam factam Athenienses hoc decrevisse is aperte affirmat, qui in schol. Nub. v. 830 dicit: *Διαγόρας ὁ Μήλιος, ὃς τὸ μὲν πρότερον ἦν θεοσεβής, παρακαταθήκην δὲ ὑπό τινος ἀποστερηθείς, ἐπὶ τὸ ἄθεος εἶναι ἐξέδραμεν, ἐφ' ᾧ οἱ Ἀθηναῖοι ἀγανακτήσαντες τὴν Μῆλον ἐκάκωσαν.* Denique in schol. Ran. v. 320 opinatur quidam hoc Ranarum versu Aristophanem Athenienses excitasse, ut in Diagoram animadverterent [*Ἀνακινεῖ οὖν τοὺς Ἀθηναίους ὁ κωμικός. ὅθεν καὶ οἱ Ἀθηναῖοι ὡς διαχλευάζοντος τοὺς θεοὺς καταψηφισάμενοι ἀνεκήρυξαν τῷ μὲν ἀναιρήσοντι κτλ*]. Is igitur, qui hoc dicit, Diagoram tum demum post annum 406 ant. Chr. nat. putat eiectum esse. Itaque alios alio videmus tempore existimare hoc factum esse. Qua re coniecere licet Craterum Melanthiumque edictum quidem tradidisse neque vero temporis rationem habuisse.

[1]) Fieri quoque potest, ut omnino non ad filium Tharrhalidis, sed ad ipsum Tharrhalidem iocus pertineat, id quod etiam scholiastes aliquis significat, cum dicit, *Μήποτε οὖν, φησί, κατὰ περίφρασιν εἴρηκε Θαρραλείδου κολοιόν, ἐν ἴσῳ τῷ Θαρραλείδης, ὅς ἐστι κολοιώδης.*

Quod tempus scholiastae coniectura ita assequi studuerunt, ut alii Diagorae sacrilegii causa expeditionem in Melum, Diagorae patriam, factam esse crederent [Schol Nub. v. 830], alii opinarentur post Melum expugnatam una cum ceteris captivis Diagoram Athenas traductum ibique deorum contemptorem factum esse [Schol. Av. v. 1073], alii denique Ranarum versu laudato concitatos putarent Athenienses eum expulisse. Tres igitur exstant sententiae, quarum quam veram esse statuendum sit, examinare non nostrum esse videtur. Satis de ea re Fritzschius [Edit. Ran. pag. 180] et I. Richterus [L. l. II. pag. 21] disputarunt. Hoc vero pro certo licet affirmare duas sententias, quae vanis nitantur coniecturis, esse falsas. Itaque cum his exemplis doceamur, quam multa incautius et temere e comicorum verbis collegerint, iam unusquisque videbit, quid statuendum sit de verbis scholii v. 766: *Εἴη δ' ἄν τι συμπεπραχὼς τοῖς ἑρμοκοπίδαις ὁ Πεισίου, οἵτινες, ὡς Φιλόχορός φησιν, ἐπὶ Χαβρίου θάνατόν τε κατεγνώσθησαν καὶ κτλ.* Ex ipsis poëtae verbis *Εἰ δ' ὁ Πεισίου προδοῦναι τοῖς ἀτίμοις τὰς πύλας βούλεται* eum fuisse collegit in numero Hermocopidarum, qui tum essent Athenis *ἄτιμοι*. Coniectura igitur est, quam improbat Kockius. — Denique, quod de Lysicrate v. 513 nominato statuit aliquis: *Οὗτος δὲ στρατηγὸς ἐγένετο Ἀθηναίων κλέπτης τε καὶ πανοῦργος*, coniectura esse videtur, cum alii aliter statuant: *Ἔνιοι δὲ τραγικὸν αὐτόν φασι κλέπτην καὶ σφόδρα ἄσημον.* Neque causae latent, quibus adducti haec opinati sint interpretes. Nam cum eum *δωροδόκον* fuisse poëta dicat, publico munere Lysicrates videtur functus esse, quamob rem is, cuius sententia priore loco affertur, eum ducem fuisse coniecit. Sed cum ex iisdem poëtae verbis elucere videatur eum in tragoediis et in scena pecuniam accepisse, alii illud improbarunt et eum fuisse statuerunt »*τραγικὸν κλέπτην*«. — Haec satis sint de his scholiastarum annotationibus. Demonstrasse mihi videor perpauca e libris historicis scholiastas attulisse et ea de hominibus illustrioribus; quae de viris alioquin obscuris exponunt, plerumque, quoniam historiarum scriptores nihil iis suppeditabant aut his fontibus interpretes uti nolebant, ex ipsis comicis hauserunt. Id vero nobis eiusmodi coniecturarum indicium est, quod plerumque complures sententiae afferuntur inter se discrepantes et tales, quae cum poëtae verbis bene conveniant et ex iis colligi possint. Quoniam autem

coniecturis incautius indulsisse videntur, omnibus rebus, quas de his hominibus afferunt, maior videtur cautio adhibenda esse, quam quae adhuc adhibita est.

§ 6.

De rebus quas ex historia Graeca ad fabulam illustrandam scholiastae suppeditaverint.

Tragoedia odit profanum vulgus et arcet, e praesenti aetate refugit ad tempora heroica ascenditque ad sedes deorum immortalium; comoedia rursus cothurno spreto soccum induit immiscet se turbae forensi mortaliumque domus intrat. Quae in foro, quae in templis, quae ipsis in domibus fierent, ea voluit Aristophanes argumenta esse fabularum suarum. Qua re Platon quoque Dionysio Syracusanorum tyranno, Atheniensium rem publicam cognoscere cupienti, Aristophanis fabulas misisse dicitur.[1]) Itaque fabulae Aristophaneae totius Atheniensium vitae et publicae et internae quasi quaedam imago sunt. Sed quia ad tales tantum loquitur poëta, qui haec omnia sciant, nobis, quippe qui tanto temporum spatio ab illis temporibus seiuncti simus neque ab aliis scriptoribus de illis rebus edoceamur, multa, quae attingit, utique explicationis indigent. Quo interpretis munere nostri qui dicuntur scholiastae functi sunt, qui, quamquam ne ipsi quidem ea, quae tum Athenis facta sunt, suis oculis viderunt, tamen e fontibus, qui iis largiter omnia suppeditabant, nobis evanuerunt, earum rerum scientiam sibi comparare potuerunt. Quos fontes, qui saepius in scholiis commemorantur, nunc, quantum eius fieri potest, enumeremus ac primum quidem, quoniam de Atticis potissimum rebus apud Aristophanem sermo est, »*Ἀτθίδων*« auctores.

P h i l o c h o r u s A t h e n i e n s i s. [Cfr. Muelleri Histor. graec. fragm. I. Praef. pag. 84: 88 sqq.] *Ἀτθίδα* conscripsit, e qua de bello sacro [schol. v. 556], de Metone [schol. v. 997], de Hermocopidis [schol. v. 766], de nummis Atticis [schol. v. 1106] pauca afferuntur.

[1]) Hoc auctor Vitae Aristophanis [Cfr. Duebn. Proleg. de comoed. pag. XXVII] nos docet: *Φασί δὲ καὶ Πλάτωνα Διονυσίῳ τῷ τυράννῳ βουληθέντι μαθεῖν τὴν Ἀθηναίων πολιτείαν πέμψαι τὴν Ἀριστοφάνους ποίησιν καὶ συμβουλεῦσαι τὰ δράματα αὐτοῦ ἀσκηθέντα μαθεῖν αὐτῶν τὴν πολιτείαν.*

Androtion Atheniensis. [Cfr. Muell. l. l. I Praef. pag. 83; 88]. Is quoque Ἀτθίδα composuit, quae citatur de colacretis [schol. v. 1541], de pugna ad Mantineam facta [schol. v. 13].

Phanodemus. [Cfr. Muell. l. l. I Praef. pag. 83; 87]. Ex eius libro pauca nobis tradit scholiastes de Diana Colaenide [schol. v. 873].

Istrus. [Cfr. Muell. l. l. I Praef. pag. 85; 90]. Eum mediocri ingenio fuisse existimant. Conferas Polemonis de hoc homine acerbum iudicium, quod est apud Athenaeum IX pag. 387 F Istrum in Istro flumine demergendum esse. [Cfr. Preller: Polemon. fragm. pag. 96]. Eius liber citatur de Clepsydra fonte [schol. v. 1694].

Demon. [Cfr. Muell. I Praef. 83; 87]. Eius liber Περὶ παροιμιῶν citatur in schol. v. 301. Hunc eum Demonem esse, qui Ἀτθίδα conscripserit, verisimile esse contendit Muell. l. l. p. 87.

Hellanicus. [Cfr. Muell. I Praef. pag. 27]. Eum quoque Ἀτθίδα vel Ἀττικὴν συγγραφὴν [Cfr. Thucyd. I, 97] composuisse constat, quo ex libro nonnulla afferuntur de Diana Colaenide [schol. v. 873].

Melanthius. [Cfr. Muell. I. Praef. pag. 81—82]. Eius librum περὶ μυστηρίων, qui de causa Diagorae citatur in schol. v. 1073, partem fuisse eiusdem Ἀτθίδος Muellerus l. l. opinatur.

Craterus. [Cfr. Muell. II pag. 617 sqq.] Eius Συναγωγὴ τῶν ψηφισμάτων [Cfr. schol. Ran. v. 320] affertur de eodem Diagora in schol. v. 1073. Hunc librum non ieiunam decretorum enumerationem fuisse sed continuam rerum Atticarum descriptionem Muellerus docet l. l.

Sequuntur terrae Atticae descriptores qui dicuntur περιηγηταί.

Polemo. [Cfr. Muell. III pag. 108 sqq; L. Preller »Polemon. Perieg.« fragm. Lips. 1838; Wachsmuth »Die Stadt Athen im Alterthum«. Lips. 1874. pag. 35, qui omnes ei summam fidem habendam esse consentiunt]. Eius Ἀναγραφὴ τῶν ἐπωνύμων τῶν δήμων καὶ φυλῶν commemoratur in schol. v. 645 et eius liber Περὶ τῆς Ἀθήνησιν Ἐρατοσθένους ἐπιδημίας in schol. v. 11.

Μενεκλῆς καὶ Καλλικράτης ἐν τοῖς περὶ Ἀθηνῶν συγγράμμασιν. Hoc modo verba in schol. v. 395 leguntur. Sed Preller l. l. pag. 173—74, Mueller IV pag. 448, Wachsmuth l. l. pag. 36—37 Μενεκλῆς ἢ Καλλικράτης ἐν τῷ περὶ Ἀθηνῶν συγγράμματ

legendum esse aliis grammaticorum locis allatis ostendunt. Illis enim temporibus grammatici iam dubitabant, utrum Menecles huius libri auctor fuisset an Callicrates. Ceterum hunc librum magni momenti fuisse contendit Wachsmuth. l. l.

Aristoteles. *Πολιτεία τῶν Ἀθηναίων*, e quo libello in schol. v. 1354 pauca traduntur de tabulis illis Solonis ligneis, quae dicuntur *κύρβεις* vel *ἄξονες*.

Hi sunt auctores in scholiis allati, qui non nisi de rebus Atticis agunt. Ampliora argumenta amplexi sunt historiarum hi auctores:

Thucydides affertur de Alcibiade nave Salaminia e Sicilia arcessito [schol. v. 147], de Melo insula expugnata [schol. v. 186], de Megabazo Persarum satrapa [schol. v. 484], de bello sacro [schol. v. 556].

Theopompus. Eius Philippica afferuntur de bello sacro [1] [schol. v. 556], de Lacedaemoniorum *ξενηλασίᾳ* [schol. v. 1013] de Bacide vate Boeotio [schol. v. 962], de Chiorum fidelitate [schol. v. 880].

Apollodorus. Eius *Χρονικά* [Cfr. Muell. I Praef. pag. 48] afferuntur de Sardanapali monumento [schol. v. 1021], et eiusdem liber, quem *περὶ θεῶν* [Cfr. Harpocrat. s. v. *κύρβεις*] conscripserat, de Solonis *κύρβεσιν*. [schol. v. 1354].

Deinde alii nonnulli scriptores laudantur, qui Atheniensium res non attingentes de aliis sive Graecorum sive barbarorum civitatibus agunt.

Hellanicus. *Περσικά* laudantur de Sardanapalo [schol. v. 1021. Cfr. Muell. I pag. 67].

Clitarchus rerum ab Alexandro gestarum scriptor ille celeberrimus citatur de tiara Persica [schol. v. 487].

Ὁ Ἡρακλεώτης περὶ Ἡρακλείας, quem Nymphidem Heracleensem esse Muellerus l. l. III pag. 12 docet. Ex eius libro scholiastes aliquis didicit Bacchum a Phrygibus Sabazium appellari [schol. v. 874].

Aristoteles. Res publica Samiorum. Quae in schol. v. 471 legimus: *Ἦν δὲ ὁ Αἴσωπος Θρᾷξ. ἠλευθερώθη δὲ κτλ*, iisdem verbis exponuntur in Heraclidis Pontici libello, quem de re publica Samiorum composuit. [Cfr. Muell. l. l. II, pag. 215—16]. Quam ob rem

[1]) Hoc fragmentum in Theopompi fragmentis a Muellero collectis non invenio.

haec ex Heraclidis libello interpretem hausisse Dindorfius in annot. ad h. schol. contendit. Sed cum Muellerus II pag. 203 sqq. aliique viri docti permulta, quae sint apud Heraclidem, ex Aristotele fluxisse doceant, etiam ea, quae sint in nostro scholio, Muellerus pag. 216 Annot. contendit ex Aristotele hausta esse, praesertim cum paullo post de eodem Aesopo Aristotelis Res publica Samiorum citetur. Quod certe recte Muellerus statuit, nam Heraclidis libri nusquam in scholiis commemorantur, contra Aristotelis Rerum publicarum multa exstant vestigia.

Aristoteles Res publica Corcyraeorum. De loris Corcyraeis pauca in schol. v. 1463 afferuntur ex Aristotelis libro aliquo, quem fuisse eum librum, quem de republica Corcyraeorum conscripserit Aristoteles [Cfr. Neumann Aristot. Rer. public. reliqu. Heidelb. et Spir. 1827 pag. 118], admodum verisimile videtur.

Sosicrates »*ἐν τῷ β' τῶν Κρητικῶν*«. [Cfr. Muell. l. l. IV pag. 500]. De Rhadamantho nonnulla explicat in schol. v. 521.

Theophrastus *ἐν τῷ περὶ εὐσεβείας* de origine vocis *Κύρβεις* agit in schol. v. 1354. In codd. legitur *Θεόπομπος*, sed cum Photius s. v. *κύρβεις* idem e Theophrasto tradat, nostro loco *Θεόφραστος* legendum esse omnes consentiunt.

Aristoteles. Historia animalium 7, 12 affertur de die, quo Graeci infantibus nomen imponere soliti sint]Schol. v. 494]. In hunc locum Aristotelis interpretem apparet casu incidisse. In scholio v. 962 de Bacide vate affertur

Φιλητᾶς ὁ Ἐφήσιος, qui quando vixerit et quid scripserit, ignoramus [Cfr. Bernh. Hist. litt. II pag. 569]. Denique in schol. v. 556 de bello sacro

Eratosthenes *ἐν τῷ θ'* citatur. Sed quem Eratosthenis librum interpres significaverit, fateor me nescire.

Itaque videmus, quam multis et iis optimis fontibus scholiastae usi sint. Qua re non mirabimur, quod tam multa ex historia omnium rerum Graecarum afferunt. Ac primum quidem de vetustate fabulosa uberrimam rerum copiam iis suppeditabant Hellanicus, Androtion, Phanodemus, Apollodorus, quos omnes in vetustissimis potissimum temporibus constat versatos esse. Alia ex tragoediis, quas eos summo studio pertractasse postea ostendam, petiverunt. Ita fabula illa, quae est de Tereo, Procne, Philomela diligenter et

copiose enarratur in schol. v. 212 et fabula Ceycis et Alcyonis in schol. v. 250. Castorem et Pollucem ex ovo natos esse docet schol. v. 695, et in scholio v. 559 legimus Alopen filiam esse Cercyonis, quae e Neptuno Hippothoontem pepererit. In schol. v. 1527 Ionem narrant Apollinis et Creusae filium esse, id quod crediderim eos e tragoediis petivisse [Cfr. Ionem Euripidis], cum vulgo Xuthi filius esse dicatur [Cfr. Apollod. Biblioth. I. 7, 3, 2]. In schol. v. 835 gallus olim homo fuisse dicitur et Martis servus. Sed cum aliquando excubias agens obdormiisset, Martem ob eam rem iratum eum in avem convertisse. Idem fere Lucian. Gall. 3 nobis tradidit [Cfr. Kock. ad v. 835 annot.]. Mira denique de populo Sciapodum in schol. v. 1553 narrantur, quorum similia legimus apud Harpocrat. s. v. *Σκιάποδες* et in Plinii Nat. Hist. 7, 2, 2, 23. [Cfr. Kockii ad h. v. annot.]. — Deinde res gestae, quas poëta aut attingit aut scholiastis attingere visus est, diligenter exponuntur in his scholiis. De pugna anno 418 ad Mantineam commissa in schol. v. 13 pauca exponuntur, quibuscum Thucydides V, 61; 74 prorsus consentit. Phrynichum, Atheniensium ducem, in insula Samo Atheniensium imperium populare labefactare conatum esse Thucydide VIII, 50; VIII, 68 consentiente scholiastes docet in schol. v. 750. Tum quomodo in Hermocopidas Athenienses animadverterint, Philochoro teste in schol. v. 766 enarratur. De Chiis semper Atheniensibus fidem praestantibus multa e Theopompo afferuntur in schol. v. 880. Multis denique verbis in schol. 1021 Sardanapali vita, mores factaque enarrantur. Quo in scholio id dubitationem habet, quod duae inscriptiones afferuntur, quarum utraque Sardanapali supulcro [»*Ἐν τῷ τάφῳ αὐτοῦ*«] inscripta fuisse dicitur. Priore enim loco hoc legitur: *Ἀπολλόδωρος δὲ ταῦτά φησιν ἐγγεγράφθαι ἐν τῷ τάφῳ αὐτοῦ Ἀσσυρίοις γράμμασιν·* »*Σαρδανάπαλος Ἀνακυνδαράξου παῖς Ταρσόν τε καὶ Ἀγχιάλην ἔδειμεν κτλ*«; tum in fine scholii hoc: *Διὸ λέγουσιν ἐν τῷ τάφῳ αὐτοῦ ἐπιγεγράφθαι τοῦτο τὸ ἐπίγραμμα· Εὖ δεδαὼς ὅτι θνητὸς ἔφυς, ὃν θυμὸν ἄεξε τερπόμενος θαλίῃσι κτλ.* Nodum expedit Naekius [Choerili Samii fragm. Lips. 1817. pag. 197—98], cum docet illam inscriptionem esse monumenti, quod prope Anchialen, Ciliciae urbem, collocatum fuerit, hanc esse inscriptionem ipsius sepulcri ad Ninum urbem positi. — Plura afferre cum longum esse videatur, iam ad ea transeamus, quae de Graeco-

rum institutis et publicis et privatis et divinis attulerunt. Qui sint *πρόξενοι*, interpres aliquis recte exponit in schol. v. 1021 his verbis: *Προξένους ἐκάλουν τοὺς τεταγμένους εἰς τὸ ὑποδέχεσθαι τοὺς ξένους τοὺς ἐξ ἄλλων πόλεων ἥκοντας.* [1]) Optima quoque annotatio est, quae est in schol. v. 1422: *Κλητὴρ λέγεται ὁ καλῶν εἰς τὸ δικαστήριον πάντας. σημαίνει δὲ ἡ λέξις καὶ τὸν μάρτυρα.* [2]) De nummis Atticis in schol. v. 1106 haec legimus: *Ἐκλήθη δὲ τὸ νόμισμα τὸ τετράδραχμον τότε ἡ γλαύξ. ἦν γὰρ γλαὺξ ἐπίσημον καὶ πρόσωπον Ἀθηνᾶ τῶν προτέρων διδράχμων ὄντων ἐπίσημόν τε βοῦν ἐχόντων.* Ac de tetradrachmis quidem quod statuunt, id vere dictum esse inter omnes constat; de didrachmorum vero forma et specie prorsus idem ac quod hoc loco dicitur, Pollux 9, 60 tradidit: .... *καὶ δίδραχμον. τὸ δὲ παλαιὸν τοῦτο ἦν Ἀθηναίοις νόμισμα καὶ ἐκαλεῖτο βοῦς, ὅτι βοῦν εἶχεν ἐντετυπωμένον.* [3]) Diligentissime etiam is rem agit, qui de die, quo Graeci infantibus nomina imposuerint, in schol. v. 494 hoc dicit: *Ὅτι τὴν δεκάτην εἱστίων ἐπὶ τοῖς τικτομένοις καὶ ἐν αὐτῇ τὰ ὀνόματα ἐτίθεντο τοῖς παισί, καθάπερ Εὐριπίδης ἐν Αἰγεῖ· »τί σε μάτηρ ἐν δεκάτᾳ τοῦ τόκου ὠνόμαζεν«. Ὁ δὲ Ἀριστοτέλης ἐν ταῖς ἑβδόμαις φησὶν ἐπιτίθεσθαι τὰ ὀνόματα γράφων οὕτως· τὰ πλεῖστα δὲ ἀναιρεῖται πρὸς τὴν ἑβδόμην. διὸ καὶ τὰ ὀνόματα τότε τίθενται κτλ«.* [Cfr. Harpocrat. s. v. *ἑβδομευομένου.*] Versiculus aliquis, quem pueri aves conspicientes dictitare solebant, commemoratur in schol. v. 54: *Φασὶ γὰρ ἐκεῖνοι [οἱ παῖδες] πρὸς ἀλλήλους ἰδόντες ὄρνεα· δὸς τὸ σκέλος τῇ πέτρᾳ καὶ πεσοῦνται τὰ ὄρνεα.* Quem versiculum si non quis nobis tradidisset, nunquam illius versus verba *τῷ σκέλει θένε τὴν πέτραν* nos credo recte intellecturos fuisse. — Quod de Persarum tiarae gestandae consuetudine e Clitarchi libro affertur in schol. 487 [Cfr. pag. 21], confirmat Xenophon [Anab. 2, 5, 23] his verbis: *Τὴν ἐπὶ τῇ κεφαλῇ τιάραν βασιλεῖ μόνῳ ἔξεστιν ὀρθὴν ἔχειν.* Qualis Lacedaemoniorum »*σκυτάλη*« fuerit, et copiose et accurate exponit aliquis in schol. v. 1283. [Cfr. Phot. s. v. *σκυτάλη*; Athen. 10, 451]. —

Deinde de rebus divinis multae exstant scholiastarum annota-

[1]) Cfr. Kock. ad h. v. annot; Hermann. Antiquit. Graec. I § 116.

[2]) Cfr. Meier-Schoemann »Attischer Process« pag. 576—77; pag. 590 cum annot. 34. Hermann. l. l. I. § 140.

[3]) Cfr. Hemsterhusii ad h. Polluc. loc. annot.

tiones. Ac primum quidem quibus locis Dianae sacra facta sint diligenter enarratur in schol v. 873: *Εὐφρόνιος δέ φησιν ὅτι ἐν Ἀμαρύνθῳ ἡ Κολαινὶς, διὰ τὸ τὸν Ἀγαμέμνονα θῦσαι αὐτῇ ἐκεῖ κριὸν κόλον. ἐπὶ ταύτης δὲ Καλλίμαχος λέγει· »τὴν ὠγαμέμνων, ὡς ὁ μῦθος, εἵσατο, τῇ καὶ λίπουρα καὶ μόνωπα θύεται.« τοῦτο δὲ μήποτε ἐσχεδίασται. οἱ γὰρ Μυρρινούσιοι Κολαινίδα ἐπονομάζουσι τὴν Ἄρτεμιν, ὥσπερ Παιραιεῖς τὴν Μουνυχίαν, Φιλαΐδαι δὲ τὴν Βραυρωνίαν.* Non dubium est, quin sententiam Euphronii alius interpres recte refellat. Nam Diana quae Amarynthi colitur, ubique *Ἀμαρυνθία* appellatur, [Pausan. I, 31, 4—5] [1]) a qua Dianam Colaenîdem, quae in pago Myrrhinusio colatur, utique seiungendam esse elucet e Pausaniae verbis l. l. Dianam vero Munychiam Piraeenses coluisse Pausanias I, 1, 4 affirmat. De Diana denique, quae dicitur Brauronia, conferas Hemsterhusii ad Polluc. 9, 74 annotationem. — Neptuno in Sunio promonturio sacra facta esse non ignorat scholiastes in schol. v. 869. Graecorum Dionysum a Phrygibus Sabazium appellari in schol. v. 874 scholiastes e libro Nymphidis didicit [Cfr. Phot. s. v. *Σαβοί*; Harpocr. s. v. *Σαβοί*; Hesych. s. v. *Σαβάζιος*. [2]) In schol. v. 827 hoc legitur: *Τῇ Ἀθηνᾷ πολιάδι οὔσῃ πέπλος ἐγίνετο παμποίκιλος, ὃν ἀνέφερον ἐν τῇ πομπῇ τῶν Παναθηναίων.* Res notissima est, nec minus notum illud, quod est in schol. v. 865: *Καὶ γὰρ ἔθος ἀπὸ τῆς Ἑστίας ἀπάρχεσθαι ἐν ταῖς θυσίαις.* [3]) Sellas umbellasque gestantes filias inquilinorum comitari solitas esse Canephoros Athenienses recte scholiastes docet in schol v. 1551. [4]) In schol. v. 292 de certaminum generibus nonnulla enarrantur, quae, quamquam confusius dicuntur, tamen, si librariorum menda rite corriguntur, maximam partem vera sunt. Verba haec sunt: *Δίαυλος λέγεται ὁ διττὸν ἔχων τὸν δρόμον ἐν τῇ πορείᾳ, τὸ πληρῶσαι τὸ στάδιον καὶ ὑποστρέψαι. δολιχοδρόμοι δὲ οἱ ἑπτὰ τρέχοντες. διὸ καὶ δολιχοδρόμοι. οἱ γὰρ σταδιοδρόμοι [ἁπλοῦν, διαυλοδρόμοι δὲ]* [5]) *διπλοῦν ποιοῦνται τὸν δρόμον. Ἄλλως. ὁπλίτην δρόμον· μεθ' ὅπλων γὰρ ἠγωνίζοντο. Ἄλλως. δίαυλος, ὁ διστάδιος τόπος ἢ μέτρον πήχεων σ'* (lege *πήχεων ώ*. Ide-

[1]) Cfr. Preller Mythol I pag. 245.
[2]) Cfr. Preller Mythol. I pag. 576—77.
[3]) Cfr. Preller Mythol. pag. 347.
[4]) Cfr. Hermann. Antiqu. Graec. II § 54, 27.
[5]) Ea, quae uncis inclusa scripsi, addenda esse existimo.

lerus in Commentatt. philolog. Acad. Berol. 1812, pag. 177)...... ὀκτὼ δέ εἰσιν ἀγωνίσματα· στάδιον, δίαυλος, δόλιχος, ὁπλίτης, πυγμή, παγκράτιον, πάλη καὶ ἅλμα. [1]) Denique e terrarum descriptoribus permulta de montium, fluviorum urbiumque situ, de pagis Atticis, de Athenarum urbis vicis, de statuis et monumentis excerpserunt. Pauca exempla affero: Schol. v. 1474: Καρδία γὰρ πόλις Θράκης, ἧς οἱ πολῖται Καρδιανοί. [Cfr. Kock. ad h. v. annot.] — Schol. v. 1042: Ὑπὸ τῷ Ἄθῳ ἡ Ὀλόφυξος πόλις, πρὸς οὓς [i. e. τοὺς Ὀλοφυξίους] καὶ προστάγματα ἔπεμπον Ἀθηναῖοι. [Cfr. Thucyd. 4, 109] — Schol. v. 1694: Καὶ ἄλλως δὲ Φαναὶ τῆς Χίου χωρίον. [Cfr. Kock. ad. h. v. annot.] — Schol. v. 774: Παρ' Ἕβρον: Ποταμὸν Θράκης τὰ ῥεύματα ἔχοντα ἐκ Ῥοδόπης τοῦ Θρᾳκικοῦ ὄρους — Schol. v. 552: Φασὶ γὰρ τὴν Βαβυλῶνα ἀπὸ ὀπτῶν πλίνθων οἰκοδομηθῆναι, καὶ ἀντὶ γύψου ἀσφάλτῳ συνδεθῆναι τὰς πλίνθους. [Cfr. Herod. I, 179] — Schol. v. 496: Ἁλιμοῦντάδε: Δῆμος τῆς Λεοντίδος φυλῆς. [Cfr. Harpocr. s. v. Ἁλιμούσιοι] — Schol. v. 476: Κεφαλῆς [Lege Κεφαλή] γὰρ δῆμος Ἀκαμαντίδος φυλῆς. [Cfr. Phot. s. v. Κεφαλή; Kock ad h. v. annot.] — Schol. v. 645: Γράφεται καὶ Θρίηθεν καὶ ἔστι δῆμος τῆς Οἰνηίδος, ἐὰν δὲ Κριῶθεν, τῆς Ἀντιοχίδος. Ἄλλως. Κριός [Κριώα scribendum esse docet Harpocrat. s. v. Κριωεύς] δῆμος τῆς Ἀντιοχίδος φυλῆς, ἀπὸ Κριοῦ τινος ὠνομασμένος. ἀναγράφει δὲ τοὺς ἐπωνύμους τῶν δήμων καὶ φυλῶν Πολέμων. [Cfr. Hesych. s. v. Θριοῦς. Phot. s. v. Θρεῖα]. — De ipsa Atheniensium urbe agunt haec scholia. Schol. v. 395: Οἱ ἐν πολέμῳ ἀναιρούμενοι ἐν τῷ Κεραμεικῷ ἐθάπτοντο, ὡς Μενεκλῆς ἢ Καλλικράτης ἐν τῷ περὶ Ἀθηνῶν συγγράμματί φησιν οὕτω· [Cfr. pag. 39] »καλεῖται δὲ καὶ ὁ τόπος οὗτος ἅπας Κεραμεικός. ἔστι γὰρ ὁ αὐτὸς δῆμος. βαδίζουσι δὲ ἔνθεν καὶ ἔνθεν εἰσὶ στῆλαι ἐπὶ τοῖς δημοσίᾳ τεθαμμένοις. εἰσὶ δὲ οὗτοι οἱ ὑπὸ τοῦ δήμου πεμφθέντες, οἳ ἐν αὐτῇ τῇ χώρᾳ ὑπὲρ τῆς πόλεως τετελευτήκασιν. ἔχουσι δὲ αἱ στῆλαι ἐπιγραφὰς ποῦ ἕκαστος ἀπέθανεν«. Diligentissime profecto haec exponuntur neque abhorrent a verbis Pausaniae I, 29, 4. — De Metonis solario in Atheniensium comitio collocato, de situ vici Melites et Coloni agoraei agit schol. v. 997: Ὁ δὲ Φιλόχορος ἐν Κολωνῷ μὲν αὐτὸν οὐδὲν θεῖναι λέγει, ἐπὶ Ἀψεύδους δὲ τοῦ πρὸ Πυθοδώρου ἡλιο-

[1]) De cursus certaminibus cfr. Krause Hellenica I, 1, pag. 344 sqq.; Schol. Nub. v. 28, quod est in Cod. Taurin.

τρόπιον ἐν τῇ νῦν οὔσῃ ἐκκλησίᾳ πρὸς τῷ τείχει τῷ ἐν τῇ πνυκί. μήποτε οὖν τὸ χωρίον, φασί τινες, ἐκεῖνο πᾶν ᾧ περιλαμβάνεται καὶ ἡ πνὺξ, Κολωνός ἐστιν ὁ ἕτερος ὁ μίσθιος λεγόμενος. οὕτως μέρος τι νῦν σύνηθες γέγονε τὸ Κολωνὸν καλεῖν τὸ ὄπισθεν τῆς μακρᾶς στοᾶς, ἀλλ᾽ οὐκ ἔστι. Μελίτη γὰρ ἅπαν ἐκεῖνο, ὡς ἐν τοῖς ὁρισμοῖς γέγραπται τῆς πόλεως. Gravissima haec sunt atque talia, de quibus dubitare non possimus. Nam Colonum *μίσθιον* vel *ἀγοραῖον* [Cfr. Harpocrat. s. v. *κολωνέτας*; Poll. 7, 133] re vera fuisse *ὄπισθεν τῆς μακρᾶς στοᾶς* demonstrat Wachsmuth. Die Stadt Athen im Alterthum. pag. 178 cum annot. 5. — Quae in schol. v. 1128 legimus: *Ἀνέκειτο γὰρ ἐν ἀκροπόλει δούριος ἵππος ἐπιγραφὴν ἔχων· »Χαιρέδημος Εὐαγγέλου ἐκ Κοίλης ἀνέθηκε,* confirmatur verbis Pausaniae I, 23, 8: *»Ἵππος δὲ ὁ καλούμενος δούριος ἀνέκειται χαλκοῦς* (scil. *ἐν Ἀθηναίων ἀκροπόλει*). [Cfr. Wachsm. l. l. pag. 145]. Deinde mira de fonte aliquo, qui erat in arce et clepsydra vocabatur, ex Istri libro petiverunt scholiastae in schol. v. 1694. Similia tradunt Photius, Hesychius, Suidas s. v. *κλέψυδρα*. -- Denique qui sint *μηνίσκοι* statuarum, scholiastes docet in schol. v. 1114 his verbis: *Σκεπάσματα τῶν ἀνδριάντων, ἅπερ ἐπιτιθέασι ταῖς κεφαλαῖς τῶν ἀνδριάντων διὰ τὸ μὴ ἀποπατεῖν κατ᾽ αὐτῶν τὰ ὄρνεα.* Idem Photius s. v. *μηνίσκους* nobis tradidit.

Itaque cum largum doctrinae thesaurum e fontibus, quos supra enumeravi, scholiastas sibi comparavisse videamus, minime illi recte statuere videntur, qui in scholiis nostris nihil inesse credunt nisi nugas ineptiasque hominum alucinantium. Contra studiorum fragmenta sunt hominum illorum, qui tum, cum Graecorum res iamiam collapsurae erant, pristini splendoris memoriam litteris retinere conati sunt. Qua re scholia nobis sunt quasi quaedam metalla, e quibus pretiosa aera depromere possimus. Neque enim quae inveniuntur in scholiis, pura sunt sed velut aera scoriis commixta. Quas scorias excutere criticorum est nostri aevi. Ac sane permulta iam a viris doctis alia aliis locis de singulis scholiastarum annotationibus argutissime excogitata sunt. Sed ut de singulis quaestio via ac ratione instituatur, omnia inspicere opus esse videtur, ut cognoscamus, qua ratione scholiastae rem agere soliti sint et quibus de causis tam multa perperam statuerint. Quae cum ita sint, ea, quae falso adiecerunt, ita pertractabo, ut simul, unde orta sint

peccata, explicem. Ac primum quidem ea commemoranda sunt, quae scripturae mendis effecta in paucarum litterarum tantum mutatione posita sunt. Quorum in numero imprimis habendi sunt numeri perperam allati, cum numeros notis non verbis constet veteres plerumque scripsisse. Ita in schol. v. 292 *πήχεων σ'* perperam scriptum est pro *πήχεων ω'* [Cfr. pag. 44]. Hunc scripturae errorem esse non sententiae etiam Idelerus contendit, cum in Commentatt. philol. Acad. Berol 1812 pag. 177 statuit hoc loco *πήχεων ω'* scribendum esse. Eodem modo in verbis schol. v. 1656: *Νόμος ἦν Ἀττικὸς τοῖς νόθοις μεχρὶ πέντε μνῶν καταλιμπάνειν* pro *πέντε μνῶν* legendum est *δέκα μνῶν*, ut apparet ex Harpocrat. s. v. *νοθεῖα*. Quam ob rem Meursius quoque [Lect. Attic. 1, 21] *μεχρὶ δέκα μνῶν* restituendum esse censet. In schol. v. 1421 haec leguntur: *Ἐπε ἐν Πελλήνῃ ἐν τοῖς Ἡραίοις ἆθλον ἐτίθετο χλαῖνα. οἱ δε, ὅτι Ἑρμαῖα ἄγεται ἐν Πελλήνῃ κτλ.* Alii igitur *Ἡραῖα* facta esse statuunt, alii *Ἑρμαῖα*, quarum sententiarum hanc veram esse apparet e Phot. s. v. *Πελληνικαὶ χλαῖναι* [Cfr. Duebn. ad h. schol. annot.]. Error vero illorum quin litterarum similitudine effectus sit, nemo dubitabit. [1])

Aliis locis erraverunt scholiastae memoria decepti, cum nonnulla, quae memoria non tenebant, scire sibi viderentur. Nam complures scholiastas admodum inscios fuisse optime demonstrat schol. v. 189: *Τινές φασι μεταξὺ Πυθοῦς καὶ Ἀττικῆς εἶναι τὴν Βοιωτίαν, καὶ οὐχ οἷόν τε εἶναι ἀπελθεῖν Ἀθηναίους εἰς Πυθώ, εἰ μὴ παρέλθωσι Βοιωτίαν.* Boeotiam igitur inter Delphos et Atticam sitam esse non ipse scivit scholiastes sed ab aliis didicit. Eadem scholiastae alicuius inscitia elucet e verbis schol. v. 379: *Ταῦτα δὲ εἰς Συρακοσίους αἰνίττεται, οὓς ἐνίκησαν Ἀθηναῖοι διὰ τὸ ταπεινοὺς ἔχειν τοὺς πύργους.* Ergo ignorat scholiastes eo tempore, quo nostra fabula docta sit, omnino nihil contra Syracusanos Athenienses

[1]) Error, qui inest in verbis schol. v. 369: *Ἐπεὶ τὸ παλαιὸν τοὺς λύκους ἀπέκτεινον ἐν τῇ Ἀττικῇ, καὶ νόμος ἦν λυκοκτονεῖν. διὸ ὁ μὲν φονεύων τέκνον λύκου τάλαντον ἐλάμβανεν, ὁ δὲ τέλειον δύο* hoc modo non videtur explicari posse. Nam cum e Plutarcho [Solon. 23] appareat in lege Solonis praemium quinque drachmarum et unius drachmae propositum fuisse non intelligitur, quomodo scripturae mendo quinque drachmae et una drachma in duo talenta et unum talentum mutari potuerit.

gessisse. Talis scholiastes ea quoque scripsisse videtur, quae sunt in schol. v. 149: *Ἔστι δὲ* [scil. *ὁ Ἠλεῖος Λέπρεος*] *τῆς Τριφυλίας πλησίον. πόλις Πολοποννήσου.* Quid sibi vult hoc *πλησίον Τριφυλίας*, cum Lepreum in Triphylia situm fuisse constet? [Cfr. Pausan. 5, 5, 3.] Hoc modo crediderim errorem ortum esse. Scholiastes alio loco aliquo legisse videtur Lepreum urbem esse Triphyliae. Cum vero ex hoc Aristophanis versu Lepreum Elidis urbem esse appareret, ei, cum Triphyliam partem Elidis esse nesciret, ille nescio cuius scriptoris locus a nostro versu discrepare visus est. Eam ob causam non dixit Lepreum esse urbem Triphyliae sed — *τῆς Τριφυλίας πλησίον*. Eiusmodi igitur scholiastarum aliquis in schol. v. 186 dicit: *Μῆλος δέ ἐστι πόλις Θεσσαλίας*; atque adeo Didymum in schol. v. 13 statuentem *Ἐπεὶ Ὀρνεαὶ τῆς Λακωνικῆς εἰσι* mirum in modum memoria fefellit. Nam hanc Argivorum urbem esse docent Strabo 8, 382 et schol. v. 399. [Cfr. Kock. ad v. 399 annot.] Denique aliquid, quod revera ignorabat, is meminisse sibi visus est, qui in schol. v. 1022 dicit: *Πλάττει καινὴν ἀρχήν. οὐ γὰρ ἦν Ἀθήνησι.* Nam Athenis episcoporum magistratum exstitisse et noster versus aperte demonstrat et Harpocrat. s. v. *Ἐπίσκοπος.* [1]) —

Eadem scholiastarum inscitia etiam haud raro fit, ut duas res inter se diversas quidem sed ita comparatas, ut aliqua inter eas sit similitudo, scholiastae prorsus permiscuerint. Cuius rei exemplum est schol. v. 484: *Δαρεῖος βασιλεὺς ἦν, Μεγάβαζος δὲ σατράπης πορθήσας Μέμφιδα. οὗτος σατράπης Δαρείου ὁ τὴν Αἴγυπτον ἑλών; οὗ μνημονεύει Θουκυδίδης ἐν τῇ πρώτῃ* [c. 109] *γράφων οὕτως· »Μεγάβαζον τὸν Ζωπύρου πέμπει κτλ«.* Megabazos igitur, Darei dux, qui expeditione in Scythas facta in Europa relictus est [Cfr. Herod. IV, 143 sqq.] et Megabyzus, Zopyri filius, qui exercitui Artaxerxis contra Aegyptios misso praeerat [Cfr. Herod. III, 160; Thucyd. I, 109] aperte inter se commiscentur. Simile est scholium v. 186, quod de Atheniensium expeditione in Melum insulam facta agit his verbis: *Ἐν τοῖς Πελοποννησιακοῖς κατὰ πάντων Μηλίων Νικίαν πέμψαντες Ἀθηναῖοι ἐπὶ τοσοῦτον ἐπολιόρκησαν αὐτούς, ὥστε λιμῷ διαφθεῖραι κτλ.* Quid enim hoc loco scholiastes Niciam nominat, cum huic expeditioni Cleomedem et Tisiam praefuisse

---

[1]) Cfr. Hermann Antiqu. Graec. I, § 157, 8.

constet? [Cfr. Thucyd. 5, 84.] Error igitur exstat scholiastae, quem recte Wesseling. ad Diodor. 12, 80 [Cfr. Duebn. ad h. schol. annot.] ita explicare videtur, ut hunc impetum Atheniensium dicat a scholiasta permixtum esse cum alia expeditione antea in Melum insulam Nicia duce suscepta. [Cfr. Thucyd. III, 91]. Idem error inesse videtur in verbis scholii vitiis abundantis, quod versui 556 ascriptum est: *Ὁ ἱερὸς πόλεμος ἐγένετο Ἀθηναίοις πρὸς Βοιωτοὺς βουλομένους ἀφελέσθαι Φωκέων τὸ μαντεῖον. νικήσαντες δὲ Φωκεῦσι πάλιν ἀπέδωκαν, ὡς Φιλόχορος ἐν τῇ δ' λέγει. δύο δὲ πόλεμοι ἱεροὶ γεγόνασι, οὗτος δὲ καὶ ὁπότε Φωκεῦσιν ἐπέθεντο Λακεδαιμόνιοι. ἐν ἐνίοις τῶν ὑπομνημάτων ταῦτα λέγεται· ἱερὸν πόλεμον λέγει, καθὸ πρὸς θεοὺς ἔσοιτο. ἅμα δὲ τοῦ ἱεροῦ πολέμου μνημονεύει τοῦ γενομένου Ἀθηναίοις πρὸς Φωκέας ὑπὲρ τοῦ ἐν Δελφοῖς ἱεροῦ. ἐσχεδίασται δὲ ὑπ' αὐτῶν. οὐ πρὸς Φωκέας ὑπὲρ τούτου ἐπολέμησαν. ἀλλ' ὑπὲρ Φωκέων διὰ τὸ πρὸς Λακεδαιμονίους ἔχθος. γεγόνασι δὲ δύο πόλεμοι ἱεροί. πρότερος μὲν Λακεδαιμονίοις πρὸς Φωκεῖς ὑπὲρ Δελφῶν. καὶ κρατήσαντες τοῦ ἱεροῦ Λακεδαιμόνιοι τὴν προμαντείαν παρὰ Δελφῶν ἔλαβον. ὕστερον δὲ τρίτῳ ἔτει τοῦ πρώτου πολέμου Ἀθηναίοις πρὸς Λακεδαιμονίους ὑπὲρ Φωκέων. καὶ τὸ ἱερὸν ἀπέδωκαν Φωκεῦσι, καθάπερ καὶ Φιλόχορος ἐν τῇ δ' λέγει....... ἱστορεῖ δὲ περὶ αὐτοῦ καὶ Θουκυδίδης καὶ Ἐρατοσθένης ἐν τῷ θ' καὶ Θεόπομπος ἐν τῷ κέ.* In »*ἐνίοις τῶν ὑπομνημάτων*« igitur aliquem statuisse videmus Athenienses pro Delphis cum Phociis bellum gessisse Quod cum a bello sacro ann. 448 ant. Christ. nat facto prorsus abhorreat, non dubium esse videtur, quin ad primum bellum sacrum per annos 600—590 ant. Christ. nat. factum pertinuerit. Scholiastes vero, qui obloquitur et rem contra evenisse dicit, illud ad alterum bellum sacrum pertinere existimavit. Neque hoc mirum est, nam eum de primo illo bello sacro nihil compertum habuisse dilucide demonstrant eius verba: *Γεγόνασι δὲ δύο πόλεμοι ἱεροί κτλ.* Itaque duo bella sacra prorsus permiscuit.

Alterum errorem inesse statuunt viri docti in verbis: *Ὕστερον δὲ τρίτῳ ἔτει τοῦ πρώτου πολέμου Ἀθηναίοις κτλ.*, cum statim post discessum Lacedaemoniorum Athenienses intercessisse apparere videatur e verbis Thucydidis I, 112: *Καὶ αὖθις ὕστερον Ἀθηναῖοι ἀποχωρησάντων αὐτῶν* [i. e. *Λακεδαιμονίων*] *στρατεύσαντες καὶ κρατήσαντες παρέδοσαν Φωκεῦσι.* Errorem vero scholiastae ortum esse

existimat Clinton[1]) consentiente Dindorfio [Cfr. eius annot. ad h. schol.] e Thucydidis verbis, quae exstent in initio paragraphi laudati: *Ὕστερον δὲ διαλιπόντων ἐτῶν τριῶν κτλ.* [Cfr. Curt. Hist. Graec. II pag. 178.] In errorem igitur scholiastes incidit, quia festinanter et negligenter Thucydidis locum inspexit.[2])

Denique tertii errorum generis exemplum est in scholio nostro. Nam cum in initio scholii aliquis statuat Atheniensium expeditionem in Boeotos factam esse »*ὡς Φιλόχορος ἐν τῇ δ' λέγει,*« in fine vero eiusdem scholii alius Athenienses Lacedaemoniis bellum intulisse »*καθάπερ καὶ Φιλόχορος ἐν τῇ δ' λέγει,*« scholiastarum alterutrum errare necesse est. Lacedaemonios Atheniensium adversarios non fuisse Thucydidis verba l. l. *ἀποχωρησάντων αὐτῶν* [i. e. *Λακεδαιμονίων*] dilucide demonstrant, ac ne Boeotorum quidem ullum vestigium exstat apud Thucydidem, cuius e verbis cum Delphis tantum Atheniensibus rem fuisse elucere videtur. Itaque Philochorum aeque ac Thucydidem adversarios omnino non nominasse crediderim, scholiastas vero eorum nomina suo arbitrio adiecisse. Nam si eos nominasset Philochorus, alterius scholiastae error non posset explicari, quoniam vocabulum *Βοιωτοί* et vocabulum *Λακεδαιμόνιοι* inter se prorsus dissimilia sunt ita, ut legendi vel scribendi vitio alterum ex altero oriri non potuerit. Quibus vero causis scholiastae adducti sint, ut alter cum Lacedaemoniis, alter cum Boeotis Atheniensibus rem fuisse crediderint, intellectu non difficile est. Nam Lacedaemonii et semper a Delphis steterant et paullo ante iis adversus Phocios auxilio venerant, Boeoti vero veteres inimicitias exercebant cum Atheniensibus, quos fere ipso illo tempore in fines Boeotiae arma intulisse Thucydides, quem non minus quam Philochorum scholiastas inspexisse scholium docet, eodem loco nobis tradidit. Hac ratione hunc scholiastarum errorem ortum esse credi-

---

[1]) Fasti Hellenici II pag. 258. In huius operis versione latina, quam exhibuit C. G. Krueger. Lips. 1830 pag. 272.

[2]) Huius neglegentiae exemplum inest etam in schol. v. 1021 iam pag. 42 allato, ubi »*ἐν τῷ τάφῳ*« Sardanapali aliquis dicit scripta fuisse verba *Σαρδανάπαλος Ἀνακυνδαράξου παῖς κτλ.* Neque enim in sepulcro haec scripta fuisse sed in monumento ostendit Naekius l. l. idemque vir doctus culpam huius vitii non Apollodoro, e quo hoc petiverit scholiastes, assignandam esse recte statuit pag. 243, sed ipsi scholliastae, qui Apollodorum negligenter inspexerit.

derim. Neque vero eius.nodi coniecturas temere factas a scholiastis alienas esse et scholia, quae de hominibus a poëta commemoratis agunt, nos docuerunt et alia docebunt, quae allaturus sum. Ad. v. 1046 *Καλοῦμαι Πειθέταιρον ὕβρεως ἐς τὸν μουνυχιῶνα* ascriptum est hoc scholium: *Τότε γίνεται τὸ περὶ ὕβρεων δικαστήριον. ὡς ἐν τούτῳ τῶν ἐναγομένων ξένων ἀπὸ τῶν πόλεων καλουμένων. οὐκ ἦν δὲ, ἀλλ' ὁ μαιμακτεριών, ὡς Φιλέταιρος ἐν Μηοὶ δηλοῖ· »τίς ἐστι μαιμακτηριών; μὴν δικάσιμος.« ἔδει εἰπεῖν μαιμακτηριῶνα· εἰς τοῦτον γὰρ ἦσαν αἱ κρίσεις.* Iam ipsa scholii verba ita comparata sunt, ut gravissimam suspicionem moveant. Nam modo de causis, quae sint *περὶ ὕβρεως*, modo de peregrinorum causis, modo universe de causis loquuntur scholiastae. Tum quod unus affirmat, statim alter negat, verbis commotus versus Philetaeri. Neque quidquam eorum, quae dicunt, aliorum scriptorum locis confirmari videtur. [1]) Quibus de causis omnia e verbis nostri versus et versus Philetaeri coniectuı a tantum collegisse luce clarius est. Nam nostro loco lis *περὶ ὕβρεως* commemoratur et ea peregrino illata, quamob rem lites *περὶ ὕβρεως* et peregrinorum lites *ἐν μουνυχιῶνι* fieri statuunt. Rursus a Philetaero mensis *μαιμακτηριών* universe mensis iudicialis appellatur, ergo omnes litis actiones *ἐν μαιμακτηριῶνι* fieri dicunt. Eodem modo e verbis versuum 291 – 92 *Ἀλλὰ μέντοι τίς ποθ' ἡ λόφωσις ἡ τῶν ὀρνέων; ἢ 'πὶ τὸν δίαυλον ἦλθον;* aliquis hoc perperam collegit: *Ἐπεὶ οἱ διαυλοδρομαῦντες μεθ' ὅπλων τρέχουσιν ἔχοντες λόφον ἐπὶ τῆς κεφαλῆς.* Nam e verbis Pausaniae II, 11, 8 ...... *Γραμανὸς Σικυώνιος, ὃς νίκας ἀνείλετο Ὀλυμπιάσι .... διαύλου δὲ ἀμφότερα καὶ γυμνὸς καὶ μετὰ τῆς ἀσπίδος* dilucide apparet nudos quoque homines Graecos *ἐν διαύλῳ* certasse. [2]) Itaque videmus illud scholiastam coniectura tantum, idque perperam e poëtae verbis collegisse. — In annotatione ad verba Euelpidis v. 553: *Ὦ Κεβριόνα καὶ Πορφυρίων, ὡς σμερδαλέον τὸ πόλισμα* Kockius docet sensum utique postulare, ut Porphyrio Cebrionesque nomina et Gigantum et avium sint. Quod utrumque de Porphyrione quidem aliis locis confirmatur, sed cui nomen Cebriones

[1]) Cfr. Meier-Schoemann »Attischer Process« pag. 579, ubi de litis actionibus sermo est, quae certis temporibus fieri solitae sint.

[2]) Cfr. Krause Hellenic. I, 1, pag. 346.

fuerit, neque Gigantis neque avis ullum exstat vestigium. Qua re in voce *Κεβριόνα* scripturae mendum latere cum magna probabilitatis specie Kockius coniecit. At in scholio huic versui ascripto hoc legimus: *Ὀρνεόν τί φησι τὸν Κεβριόνην* .... *ἐπιτηδείως δὲ τὸν Πορφυρίωνα παρέλαβεν, καὶ ὅτι ὄρνις καὶ ὅτι εἷς τῶν γιγάντων ὅμοιος τῷ Κεβριόνῃ, ὃν ἐχειρώσατο ἡ Ἀφροδίτη.* Cum vero in schol. v. 1252 legamus: *Ὁ γίγας [Πορφυρίων] ὁ τῷ Διὶ πολεμήσας, ὃν ἐχειρώσατο Ἀφροδίτη,* etiam in nostro scholio illud *ὃν ἐχειρώσατο ἡ Ἀφροδίτη* verisimile est pertinere ad Porphyrionem. Quod si vere dictum est, iam de Cebrione nihil dicit scholiastes nisi hoc: Cebriones similis fuit Porphyrionis et eodem nomine Aristophanes avem aliquam significat. Hoc autem tam universe et tam dubie dicitur, ut iam ex his ipsis verbis scholiastam nihil de Cebrione compertum habuisse et illud temere dixisse apparere videatur. Quae sententia illa Kockii coniectura ita confirmatur, ut nesciam an certa sit. — De Atheniensium tribunali illo, quod vocatur *Ἡλιαία,* schol. v. 109 agit his verbis: *Ἀπὸ τοῦ μεγάλου δικαστηρίου τῆς Ἡλιαίας. οὕτως δὲ ἐκλήθη διὰ τὸ ἐν ὑπαίθρῳ εἶναι τόπῳ καὶ ὑπὸ τοῦ ἡλίου βάλλεσθαι.* Idem de vocis origine docent scholl. Vesp. v. 88; 772; Nub. v. 862 ectr. Alii vero grammatici vocem ab *ἁλίζεσθαι* derivatam esse statuunt [1]) atque eos hoc recte statuere et Richter et Wachsmuth ll. ll. contenderunt. Quod cum ita sit, iam quaeritur, unde falsa illa vocis originatio orta sit. Cum verborum lusui potius deberi quam serio dicta esse videatur, lectores ad Vesparum versum 772 revocaverim, ubi Bdelycleo ad Philocleonem patrem hoc dicit: *Ἢν ἐξέχῃ εἵλη κατ' ὄρθρον, ἡλιάσει πρὸς ἥλιον.* Nonne admodum verisimile est ex hoc versu Aristophanis scholiastam aliquem illam vocis originationem petivisse, persertim cum fere non nisi in scholiis Aristophanis ea venditetur? — Denique nescio an horum scholiorum in numero habendum sit schol. v. 147: *Δύο εἰσὶ νῆες παρὰ τοῖς Ἀθηναίοις ὑπηρετίδες, ἡ Πάραλος καὶ ἡ Σαλαμινία. ὧν ἡ μὲν Σαλαμινία τοὺς ἐκκαλουμένους εἰς κρίσιν ἦγεν, ἣν ἐπ' Ἀλκιβιάδην φησὶ πεμφθῆναι Θουκυδίδης, ἡ δὲ Πάραλος τὰς θεωρίας ἀπῆγεν, τουτέστι τὰ εἰς θυσίαν πεμπόμενα.* Munera navium nimis

---

[1]) Cfr. J. Richter. Proleg. ad. Vespas pag. 106 sq; Wachsmuth Hellenische Alterthumskunde. I. pag. 414, annot. 14.

artis terminis circumscripta esse videntur, quamquam quid certi statuere non possumus.[1]) Cum vero utramque navem etiam in belli usum adhibitam esse Thucydides III, 77 doceat, etiam ad ceteras res agendas credibile est has naves promiscue usui fuisse. Itaque facile fieri potest, ut, quod de Salaminia statuunt, e Thucydide VI, 53 et nostro versu, de Paralo vero quod dicunt, ex alio nescio quo loco coniectura collegerint, praesertim cum scholiastas de his navibus omnino non multum compertum habuisse schol. v. 1204 ostendat, quo in scholio aliquis inepte opinatur Paralum et Salaminiam fortasse unius tantum navis diversa nomina fuisse.

His exemplis postquam exposui, quo modo rem egerint scholiastae, iam occasione oblata paullo pluribus verbis inquisiverim in annotationes scholiastarum nonnullas, quae sunt de rebus, de quibus adhuc sub iudice lis est. Quae quaestio eam ob rem hoc loco apte institui videtur, quia ex ea quoque lectores spero grammaticorum rationem rerum enarrandarum bene cognituros esse. Initium facio a scholio v. 1354, quod de pilis ligneis, quibus leges Solonis inscriptae erant, his verbis agit: *Κύρβεις χαλκαῖ σανίδες ἔνθα τοὺς νόμους γράφουσι. κατὰ δὲ ἐνίους ἄξονες τρίγωνοι, ἐν οἷς ἦσαν οἱ τῶν πόλεων [τῆς πόλεως?] νόμοι γεγραμμένοι καὶ αἱ δημοσίαι ἱεροποίαι, καθάπερ καὶ Ἀριστοτέλης ἐν τῇ τῶν Ἀθηναίων πολιτείᾳ φησὶ καὶ Ἀπολλόδωρος. κύρβεις δὲ ἤτοι παρὰ τὸ κεκορυφῶσθαι εἰς ὕψος ἀνατεταμένον, ἢ ἀπὸ τῶν κορυβάντων. ἐκείνων γὰρ εὕρημα, ὥς φησι Θεόφραστος ἐν τῷ περὶ εὐσεβείας.* Cum fontes aperte afferat scholiastes, eum ea, quae dicat, non e verbis poëtae cuiusdam coniectura collegisse pro certo possumus affirmare. Quaeritur igitur primum, utrum haec verba re vera scholiastes scripserit an scripturae menda adsint, tum num fontibus diligenter et accurate usus sit, denique num fontes vera ei suppeditaverint. Ac Neumannus[2]) quidem, cui scholium »valde corruptum« esse videtur, hoc legendum esse censet: *Κατὰ δὲ ἐνίους ἄξονες τρίγωνοι ἐν οἷς ἦσαν οἱ τῶν πόλεων νόμοι γεγραμμένοι καὶ οἱ δημόσιοι, κύρβεις δὲ ἐν οἷς ἱεροὶ καθάπερ καὶ Ἀριστοτέλης κτλ.* Sed cum Plutarchus [Solon. Cap. 25] ex eodem Aristotele afferat: *Καὶ προσηγορεύθησαν* [ἄξονες], *ὡς Ἀριστοτέλης*

[1]) Cfr. Boeckh. Urkunden über das Seewesen des Attischen Staates. Berl. 1840. pag. 76—78.

[2]) Aristotelis Rer. publ. reliqu. pag. 84.

φησί, κύρβεις, hanc Neumanni verborum mutationem videmus non esse emendationem scholii sed depravationem. Itaque de scripturae mendis securi cetera videamus. Aristotelem κύρβεις ab ἄξοσι non distinxisse certum esse videtur, cum de hac Aristotelis sententia Plutarchus l. l. et scholiastes noster prorsus consentiant. Num vero de forma quoque pilarum quid dixerit, nescimus, quoniam Plutarchus nihil tradit et scholiastes noster praeter Aristotelem se dicit etiam Apollodorum inspexisse. Deinde etiam Eratosthenes κύρβεις et ἄξονας contendit eiusdem rei nomina fuisse, id quod apparet e schol. Apollon. IV, 280: Κύρβεις λέγουσι, ὡς Ἐρατοσθένης φησί, καὶ τοὺς ἄξονας καλουμένους Ἀθήνησιν, ἐν οἷς οἱ νόμοι περιέχονται. Primus κύρβεις et ἄξονας inter se differre contendit Aristophanes Byzantius, ut verba docent, quae sunt in Cram. Anecd. I, pag. 221. II pag. 455, Etym. M. pag. 355:[1] Ἀριστοφάνης δὲ ὁμοίως αὐτὰς [τὰς κύρβεις] εἶναι τοῖς ἄξοσι, πλὴν ὅτι μὲν ἄξονες νόμους, αἱ δὲ κύρβεις θυσίας ἔχουσιν. ἀμφοτέρων δὲ τὸ κατασκεύασμα τοιοῦτον· πλινθίον τι μέγα ἀνδρόμηκες ἡρμοσμένα ἔχον τετράγωνα ξύλα. Idem fere legitur apud Plutarchum l. l.: Ἔνιοι δέ φασιν ἰδίως, ἐν οἷς ἱερὰ καὶ θυσίαι περιέχονται, κύρβεις, ἄξονας δὲ τοὺς ἄλλους ὠνομάσθαι, Ad quam argumenti differentiam accedit differentia formae in Bekker. Anecd. p. 274: Κύρβεις . . . . . . εἰσὶ δὲ τρίγωνοι τὸ σχῆμα. διαφέρουσι δὲ τῶν ἀξόνων, ὅτι ἐκεῖνοι μὲν [i. e. οἱ ἄξονες] τετράγωνοι, οὗτοι δὲ τρίγωνοι. Utraque differentia est apud Photium s. v. Κύρβεις: Τρίγωνοι πίνακες ἐν οἷς οἱ περὶ τῶν ἱερῶν νόμοι ἐγγεγραμμένοι ἦσαν καὶ οἱ πολιτικοί. καὶ ἄξονες δὲ ἐκαλοῦντο οἱ περὶ τῶν ἰδιωτικῶν ἔχοντες τοὺς νόμους καὶ τετράγωνοι. Deinde de numero laterum, quae τοῖς ἄξοσιν essent, Eratosthenes et Polemo inter se dissentiebant. Eratosthenes enim, quia in Cram. Anecd. I p. 221, II p. 455, Etym. M. p. 355: Ἐρατοσθένης δὲ τριγώνους αὐτάς φησι οὐ τετραγώνους triangulas appellat τὰς κύρβεις eundemque statuere ἄξονας et κύρβεις eandem rem significare supra vidimus, etiam τοῖς ἄξοσιν tria latera attribuit. Contra Polemo hac Eratosthenis sententia improbata quadriangulos potius ἄξονας fuisse contendit, ut docet Harpocrat. s. v. ἄξονι. Οἱ Σόλωνος νόμοι ἐν ξυλίνοις ἦσαν ἄξοσι

---

[1]) Hos et ceteros locos diligenter collegit Preller. Polem. fragm. Lips. 1838. p. 88 sq.

γεγραμμένοι . . . . . ἦσαν δὲ, ὥς φησι Πολέμων ἐν τοῖς πρὸς Ἐρατοσθένην, [1]) *τετράγωνοι τὸ σχῆμα. διασώζονται δὲ ἐν τῷ πρυτανείῳ γεγραμμένοι κατὰ πάντα τὰ μέρη. ποιοῦσι δ'ἐνίοτε φαντασίαν τρίγωνον, ὅταν ἐπὶ τὸ στενὸν κλιθῶσι τῆς γωνίας.* De quibus Polemonis verbis Preller [pag. 88] recte hoc iudicat: »Haec adeo modeste monita sunt, ut optimam de contentionibus nostri existimationem habere conveniat. Ceterum Polemoni etiam in hac re optimam fidem facit quum universa eius disputandi ratio, tum quod ipse monimenta ipsa viderat in prytaneo Atheniensi et leges etiam inde descriptas passim laudaverat«. Sed qua tandem re Preller [pag. 90] adducitur, ut dicat: »Differebant autem utrique (nam plures *ἄξονες* erant, plures *κύρβεις*) partim figura, de qua nos docet Polemo, partim argumento?« De *ἄξοσιν* tantum loquitur Polemo apud Harpocrationem, *κύρβεις* ne uno quidem verbo attingit. Qua de causa mea quidem sententia, utrum *ἄξονας* a *κύρβεσιν* distinxerit Polemo nec ne, nos prorsus ignoramus [2])

His veterum sententiis allatis iam quaeritur, quam vere dici putemus. Neque profecto quisquam dubitabit, quin de hac re summa fides habenda sit Aristoteli, quippe qui per tantum temporum spatium Athenis vitam degerit et omnia summa diligentia et sagacitate pertractare solitus sit. Itaque *κύρβεις* et *ἄξονας* eiusdem rei nomina fuisse statuamus, praesertim cum Eratosthenes, qui et ipse Athenis versatus est [Cfr. Preller l. l. pag. 86] idem tradiderit. Tertius, qui illas pilas Athenis suis oculis vidit, Polemo, etiam si non rem confirmet, tamen non impugnat. Quo accedit, quod Aristophanes quoque, quamquam differentiam interesse statuit, tamen etiam *κύρβεις* concedit pilas esse, quae cardinibus circumagantur. [3]) Itaque, cum revera »*ἄξονες*« fuerint, non esse videtur, cur non *ἄξονες* etiam appellati sint. Denique qui contra disputant, ipsi inter se repugnant, cum alii, velut Aristophanes, solam argumenti differen-

[1]) De hoc Polemonis libello cfr. Preller l. l. pag. 85 sqq.

[2]) Idem censet Muellerus [Fragm. Hist. Graec. II. pag. 130], cum dicit: »Num ipse Polemo inter *κύρβεις* et *ἄξονας* distinxerit, ex loco Harpocrationis erui nequit«.

[3]) Verba affert Preller pag. 90: *Ἀμφοτέρων δὲ τὸ κατασκεύασμα τοιοῦτον. πλινθίον τι μέγα ἀνδρόμηκες, ἡρμοσμένα ἔχον τετράγωνα ξύλα, τὰς πλευρὰς πλατείας ἔχοντα καὶ γραμμάτων πλήρεις, ἑκατέρωθεν δὲ κνώδακας, ὥστε κινεῖσθαι καὶ περιστρέφεσθαι ὑπὸ ἀναγινωσκόντων.*

tiam statuant, alii formae, alii et argumenti et formae differentiam. Itaque illas pilas promiscue modo κύρβεις modo ἄξονας appellatas esse statuamus. De laterum vero numero sequamur Polemonem, cum suis oculis pilas viderit et, unde ortus sit Eratosthenis obiter pilas inspicientis error, tam dilucide nobis exposuerit. Denique ut quaestionem via ac ratione expediamus, restat, ut explicemus, quibus rebus inducti ceteri grammatici in illos errores inciderint. Nam si probabilem errorum causam reperire possumus, ea re admodum confirmari videtur sententia nostra. Neque hoc munus videtur esse difficile. Nam duo pilarum nomina et duas argumenti partes [ius sacrum et ius publicum] Aristophanes ab aliis accepit. Qua re, cum admodum credibile sit singula nomina ei ad singulas argumenti partes pertinere visa esse, κύρβεις et ἄξονας existimavit pilas esse, quae forma pares essent, argumento inter se different. Posterioris aevi grammatici deinde hanc differentiam auxerunt, quia Polemonis et Eratosthenis sententias de numero laterum discrepantes ita componere studebant, ut Eratosthenis tria latera κύρβεσι, quatuor latera Polemonis ἄξοσιν attribuerent. [1]) — Itaque Aristotelem revera id scripsisse videmus, quod ex eius libro se hausisse scholiastes fateatur. Quod vero de tribus κύρβεων vel ἀξόνων lateribus tradit, id eum crediderim petivisse ex Apollodoro, qui de hac re Eratosthenem secutus sit. Neque quod de origine vocis κύρβεις dicunt, ipsi excogitarunt, sed partim ex Apollodoro, partim e Theophrasto petiverunt, ut schol. Apollon. Rhod. IV, 280 et Phot. s. v. κύρβεις aperte ostendunt.

De iudicum Atheniensium mercede disputat schol. v. 1541 his verbis: Οὐχ εἱστήκει δὲ αὐτοῖς [τοῖς Ἀττικοῖς] τὸ τριώβολον. πολλαχοῦ γὰρ καὶ δύο ὀβολοὺς εἰλήφασιν. — τὰ τριώβολα, ἅπερ ἐλάμβανον οἱ κριταὶ οἱ ἐν ἡλιαίᾳ κρίνοντες εἰς μισθόν. E tribus obolis Cleonis potissimum temporibus mercedem constitisse e sexcentis locis Aristophanis cognoscere possumus, velut e Vesp. v. 609, 684, 690, 1121, Equit. v. 51, 255, 800, etc. [2]) Sed quot obolorum ante hoc tempus et postea merces iudicialis fuerit, viri docti in diversas

[1]) Etiam V. Rose in libro, qui inscribitur Aristoteles Pseudepigraphus pag. 414 eandem de his Solonis pilis sententiam proposuit. Cfr. quoque Hulleman Misc. philol. Amstel. 1850; Prinz De Solon. fontib. pag. 20.

[2]) Hos et alios locos diligenter collegit Richter. Proleg. ad. Vesp. p. 159 sqq.

sententias discedunt, quamquam aliquando e duobus obolis eam constitisse scholiastae Aristophanis fere ad unum omnes consentiunt. Pauca scholia in medium propono: Schol. Ran. v. 140: *πρὸς τὸν δικαστικὸν μισθὸν, ὅτι δύο ὀβολῶν ἦν . . . . . , καὶ ὅτι τὸ δικαστικὸν μισθάριον δύο ὀβολοὶ ἦσαν . . . . ἦν δὲ καὶ τριώβολον, τοῦτο τῶν στρατηγῶν κολακείας χάριν προστιθέντων.* Schol. Vesp. 300: *Τοῦτό φησιν ὡς τριωβόλου τοῦ δικαστικοῦ ὄντος μισθοῦ . . . . . . ἦν μὲν γὰρ ἄστατον τὸ τοῦ μισθοῦ. ποτὲ γὰρ διωβόλου ἦν, ἐγίνετο δὲ ἐπὶ Κλέωνος τριώβολον.* Schol. Vesp. v. 88: *Ἐδίδοτο δὲ αὐτοῖς χρόνον μέν τινα δύο ὀβολοὶ, ὕστερον δὲ Κλέων στρατηγήσας τριώβολον ἐποίησε ἀκμάζοντος τοῦ πολέμου τοῦ πρὸς Λακεδαιμονίους.* Alii scholiastae obolorum numero neglecto neque temporis ratione habita nihil nisi id contendunt aliis temporibus aliam iudices accepisse mercedem, velut schol. Nub. 862: *Οὐχ ἵστατο δὲ ὁ τῶν δικαστικῶν μισθός.* Schol. Equit. v. 51: *Τὸν δικαστικὸν μισθόν. ἐπεὶ τριώβολον ἐλάμβανον, ὡς τοσούτου ὄντος τοῦ δικαστικοῦ νῦν καὶ τοῦ ἐκκλησιαστικοῦ. οὐχ ὁμοίως δὲ οὐδὲ τὸ αὐτὸ διώριστο, ἀλλὰ κατὰ διαφόρους καιροὺς διάφορος ἦν καὶ ὁ μισθός.* Schol. Vesp. v. 684: *Τοῦτο [τὸ τριώβολον] δὲ ἄλλοτε ἄλλως ἐδίδοτο, τῶν δημαγωγῶν τὰ πλήθη κολακευόντων, ὥς φησιν Ἀριστοτέλης ἐν Πολιτείαις.* His scholiastarum annotationibus allatis primum temporis ratione non habita videamus, num umquam binos obolos iudices acceperint, id quod Fr. V. Fritzschius [1]) affirmat, negant I. Richterus [2]) et Boeckhius. [3]) Ac Fritzschius quidem, ut argumentis confirmet sententiam suam, contendit [l. l. pag. 11 sqq.] »*διωβελίαν*« quandam, quae commemoretur in Inscriptione Barthelemiana pertinere ad mercedem iudicum. Sed cum, quae sit haec *διωβελία*, minime liqueat et alii viri docti velut Boeckhius eam referant ad *τὸ θεωρικόν*, equidem, quamquam ipse quoque scholiastarum sententiae tuendae munus suscepi, hoc Fritzschii argumento uti non audeo. Neque alterum argumentum quod e Ranarum versibus 139 sqq.

ΗΡΑΚ: *Ἐν πλοιαρίῳ τυννουτῳί σ' ἀνὴρ γέρων ναύτης διάξει*
δύ' ὀβολὼ μισθὸν φέρων.
ΔΙΟΝ: *φεῦ· ὡς μέγα δύνασθον πανταχοῦ τὼ δύ' ὀβολώ.*

---

[1]) »De mercede iudicum apud Athenienses« Rostockii 1839.

[2]) Prolegomena ad Vespas pag. 162.

[3]) Staatshaushalt der Athener. I pag. 329

Fritzschius petivit [l. l. pag 1 et 10], arridere videtur. Nam quod haec verba v. 141 contendit ad nullam aliam rem pertinere posse nisi ad mercedem iudicum, id cupidius quam cautius contendere videtur. Nam cum pro introitu in theatrum Athenienses binos obolos dare solitos esse Boeckhius [l. l. pag. 308] ipso Fritzschio consentiente [l. l pag. 20] demonstret, cur non haec poëtae verba credamus in illos duos obolos iocari, quos paullo ante unusquisque spectantium *τῷ θεατρώνῃ* solverit? Deinde etiam id, quod Kockius [in annot. ad Ran. v. 140] et Richter [l. l. pag. 160] opinantur verba ad portorium pertinere, quod homines in insulam Aeginam navigantes portitori solverint, magnam in se habet probabilitatis speciem. Quibus de causis ne huic quidem Fritzschii argumento assentiri possum. Nam quod dicit pag. 10: »Quomodo autem Bacchus loquitur? *Φεῦ, ὡς μέγα δύνασθον πανταχοῦ τὼ δύ' ὀβολώ*: Multum profecto possunt duo oboli iudicis, cuius est de capite fortunisque omnibus et civium et sociorum sententiam ferre«, id paullo captiosius dicere videtur, quoniam potentia, quam obolos habere Bacchus dicit, transfertur ad iudices, qui obolos accipiunt. Repugnare potius eius sententiae videntur haec Bacchi verba; quippe quae significent mutuum quoddam officium, quod hominibus binos obolos solventibus praestetur. Denique id quod eodem loco Fritzschius exponit »Quid Hercules deinceps respondet? *Θησεὺς ἤγαγεν*. Nempe ut verus Theseus seni Acheruntico princeps mercedem dedisse fingitur, ita iudicialem pecuniam quis alius instituit quam personatus Theseus, Pericles?« id profecto arteficiosius quam verius excogitavit. Itaque argumentis aliunde petitis scholiastarum sententiam videmus non posse firmari. Attamen cum Boeckhio eam vanam esse existimanti [pag. 329 sqq.] nullo modo consentire possum, cum aliorum scriptorum loci, qui contra pugnent, non inveniantur. Nam e Strepsiadis verbis Nub. v. 863 sq.

Ὃν πρῶτον ὄβολον ἔλαβον ἡλιαστικόν,
Τούτου 'πριάμην σοι Διασίοις ἁμαξίδα.

Unius oboli olim mercedem iudicialem fuisse [Cfr. Boeckh. l. l. pag. 328 sqq.] minime colligi posse optime Fritzschius exposuit [pag. 7]. Strepsiades profecto non tam longus erit, ut dicat: E tribus (vel duobus) obolis, quos prima sententia lata accepi, unum in plostello emendo consumpsi. Eadem ratione nostrorum quoque causidicorum

aliquis dicere poterit: Für meinen ersten Thaler Anwaltshonorar habe ich mir dies und jenes gekauft. Neque tamen ex his verbis quisquam colliget eum unum tantum thalerum accepisse. Neque verba Pollucis VIII, 113: *Καὶ τὸ διδόμενον ἐκαλεῖτο θεωρικὸν ὥσπερ καὶ τὸ ἐκκλησιαστικὸν καὶ τὸ δικαστικόν, ὅπερ καὶ τριώβολον καὶ δύο ὀβολὼ καὶ ὀβολὸς ἦν Ἀττικός* idonea sunt, quae rei lucem afferant, cum illud *ὅπερ* quo pertineat, minime liquere ipse Boeckhius concedat [l. l. I pag. 323. c.] Itaque cum loci, qui contra dicant, desint, quibus tandem causis commotus scholiastarum sententiam improbat Boeckhius? Vana et incerta eos alucinari ait et, quae dicant, eos petivisse e Ranarum versu 140 supra allato. At minime dubie loquuntur, ut unusquisque concedet, qui scholia supra allata legerit. Non solum temporis rationem habent, sed etiam auctorem Cleonem nominant, qui duorum obolorum mercedem in mercedem trium obolorum mutaverit.[1]) Hoc vero eos minime e Ranarum versu 140 coniectura collegisse certissimo argumento mihi videor posse demonstrare. Nam si hoc factum esset, id ferre dixissent: Cleonis temporibus e tribus obolis constabat merces iudicialis, postea vero bini tantum oboli iudicibus dari coepti sunt. At prorsus contrarium contendunt: Ante Cleonis aetatem bini oboli dabantur, deinde Cleon mercedem auxit. Itaque hoc certe perperam coniecit Boeckhius. Neque omnino verba versus 141 ita comparata sunt, ut scholiastas ad talem coniecturam adducere possint. Nam iudiciorum vel iudicum toto illo loco nulla mentio est. Ii tantum, qui de mercede duorum obolorum iudiciali aliunde aliquid compertum habebant, illa verba ad hos duos obolos referre poterant. Multo vero facilius e Nubium versu 863 *ὃν πρῶτον ὀβολὸν ἔλαβον ἡλιαστικόν* idem ac quod Boeckhius collegit, colligere potuissent, si de mercede iudiciali aliunde nihil comperissent. Sed non collegerunt, ut docent verba scholii huic versui ascripti: *Ἡλιαστικὸν δὲ ἀντὶ τοῦ ἐκκλησιαστικόν. οὐχ ἵστατο δὲ ὁ τῶν δικαστῶν μισθός.* Quae verba,

---

[1]) Qui in fine scholii Ran. v. 140 dicat, *Ἐπὶ δὲ Ἀριστοφάνους καὶ δραχμὴν ἦν λαβεῖν* eum hoc e Vesp. versu 788 perperam collegisse certe concedendum est [Cfr. Richter. l. l. pag. 161]. Sed qui hoc dicit, sine dubio recentissimus scholiastes est. Nam quod dicit, in hoc uno scholio exstat, cum cetera in plurimis scholiis repetantur. Itaque haec annotatio a ceteris utique seiungenda, neque si ea falsa est, sequitur, ut ceterae falsae sint. Cfr. Praefat. p. II.

quamquam scholiastarum more praecise dicuntur, tamen demonstrant, quid voluerit scholiastes. Is aeque ac Boeckhius unum tantum obolum Strepsiadem accepisse existimat, quare cum aut binos aut ternos, numquam singulos obolos iudices accepisse non ignoret, offendit in voce *ἡλιαστικόν*, et cum *ἐκκλησιαστικόν* unius oboli olim exstitisse sciat [Cfr. Ecclesiaz. v. 302], *ἐκκλησιαστικόν* potius poëtam scribere debuisse opinatur. Itaque dicit: *Ἡλιαστικὸν ἀντὶ τοῦ ἐκκλησιαστικόν*. Deinde autem, quod hoc modo opinatus est, idem addubitat, qua re dicit: *Οὐχ ἵστατο δὲ ὁ δικαστῶν μισθός*. i. e. »ceterum iudicum merces saepius mutata est, itaque fieri quoque potest, ut aliquando singulos obolos iudices acceperint, sed non scio«. Hac ratione mihi quidem haec scholiastae verba videntur explicanda esse. [1]) Itaque quod tam certo scire scholiastae sibi videntur, ut ne hoc quidem versu de sententia demoveantur, id non video, cur non ex optimo fonte eos petivisse credamus. Neque dubito quin, qui Cleonem mercedem trium obolorum instituisse eos docuerit, idem priorum quoque obolorum numerum iis tradiderit. Quae cum ita sint, unum tantum Boeckhii argumentum relinquitur. Argumentatur enim fere hoc [l. l. pag. 328]: Cum merces ecclesiastica initio ex uno obolo constiterit et merces ecclesiastica ad similitudinem mercedis iudicialis instituta sit, sequitur, ut iudices quoque initio singulos obolos acceperint. Ac sane hoc argumentum aliquid valiturum esse concedo, si nihil obstaret. Sed cum tam confidenter aliud scholiastae contendant, cur non credamus mercedem ecclesiasticam, quippe quae multo maiori civium numero danda esset, initio Athenienses paullo minorem instituisse? Itaque initio e duobus, tum Cleonis temporibus e tribus obolis iudicum mercedem constitisse scholiastis mihi quidem videtur concedendum esse. Sed num postea i. e. Ranarum fere tempore pristinus duorum obolorum

---

[1]) Non intelligo, quomodo de his verbis Boeckhius [l. l. pag. 323 c.] hoc iudicare potuerit: »Der Erklärer, von welchem die Anmerkung zu Wolken 861 herrührt, hält sogar den *ὀβολός ἡλιαστικός* für den Ecclesiastensold; welche Stelle man nicht verbessern muss, wenn man nicht des Scholiasten Unwissenheit verstecken will. Ceterum non ignoro mercedem iudicialem cum mercede ecclesiastica revera confusam esse in scholl. Plut. v. 171 et v. 330. Sed qui hoc dicat in schol. Plut. v. 330, eum recentissimi aevi Graeculum esse aperte demonstrant verba: *Καὶ Ῥωμαῖοι ὥσπερ τὰς θύρας φασί.*

numerus renovatus sit, fateor me nescire, cum hoc e schol. Ran. v. 140 colligere minime audeam. Nam, quamquam duos obolos, qui hoc versu commemorantur, scholiastae ad mercedem iudicialem referunt, tamen perfacile fieri potest, ut per negligentiam et festinationem temporis rationem neglexerint.

Verba, quae sunt in fine schol. v. 765: *Τρίτη δὲ μοῖρά ἐστι τῆς φυλῆς ἡ φρατορία, οὕστινας τριττὺν λέγει* aperte corrupta sunt. Sed non dubium esse videtur, quin emendanda sint hoc modo: *Τρίτη δὲ μοῖρά ἐστι τῆς φυλῆς ἡ φρατρία ἥν τινες τριττὺν λέγουσιν.* [Cfr. Stephan. Byzant. s. v. *φρατρία*:[1]) *Ἐξ ἧς οἱ φράτορες λέγονται οἱ ἐκ τῆς φρατρίας τῆς αὐτῆς ὄντες· ὅ ἐστι τρίτης φυλῆς, ἥν τινες τριττὺν λέγουσιν.*] Sed *τριττύας* et *φρατρίας* prorsus inter se differre tam gravibus argumentis allatis demonstravit Wachsmuth,[2]) ut de ea re plura disputare supersedere possim. Id potius enucleare mihi propositum est, unde sententiae a grammaticis de ea re perperam excogitatae ortae sint. Quod ut perficiam, primo loco grammaticorum locos nonnullos in medium propono: Harpocrat. s. v. *τριττύς*: *Τριττύς ἐστι τὸ τρίτον μέρος τῆς φυλῆς. αὕτη γὰρ διῄρηται εἰς γ' μέρη, τριττῦς καὶ ἔθνη καὶ φρατρίας, ὥς φησιν Ἀριστοτέλης ἐν τῇ Ἀθηναίων πολιτείᾳ.* — Phot. s. v. *τριττύς*: *Τὸ τρίτον μέρος τῆς φυλῆς· αὕτη γὰρ διῄρηται εἰς τρία μέρη· τριττῦς καὶ ἔθνη καὶ φρατρίας, ὡς Ἀριστοτέλης φησί.* Suid s. v. *τριττύς*: *φυλῆς μέρος τρίτον· αὕτη γὰρ διῄρηται εἰς τρία μέρη· τριττῦς καὶ ἔθνη καὶ φρατρίας, ὡς Ἀριστοτέλης φησί.* Sed si veram rei conditionem respicimus, illud Aristoteles videtur scribere non potuisse. Qua re id potius eum scripsisse crediderim, quod legatur in schol. Platonis: *Διῃροῦντο δ' ἑκάστη τούτων εἰς τρία· εἰς τριττύας, εἰς ἔθνη καὶ φρατρίας* i. e. triplex [*εἰς τρία*=*τριχῇ*] erat tribus partitio; dispertiebatur enim primum in (tres) *τριττύας*, tum in (tria) *ἔθνη*, denique in (tres) *φρατρίας*. Haec vero verba *διῄρηται εἰς τρία· τριττῦς, ἔθνη, φρατρίας* Aristoteles pro sua consuetudine tam praecise et dubie dixit, ut non mirum sit, quod alii grammatici ea aliter inter-

[1]) Omnes grammaticorum locos, qui ad hanc rem pertinent, collegit Wachsmuth »Hellenische Alterthumskunde« Halle 1844. I, Beilage 15.

[2]) De tribuum quatuor Atticarum triplici partitione. Kiliae 1825. pag. 11 sqq. Hellenische Alterthumskunde I, pag. 359—367. Cfr. etiam Hermann. Antiqu. Gr. I, § 98, 2.

pretati sunt. Ac primum quidem Harpocrationi, Photio, Suida nescio an hoc Aristoteles dicere visus sit: Unaquaque *φυλή* in tres partes divisa est et singularum partium nomina sunt *τριττύς, ἔθνος, φρατρία.* Scribunt enim *διῄρηται εἰς τρία μέρη· τριττῦς καὶ ἔθνη καὶ φρατρίας.* Alii rursus grammatici, qui sive tres *φρατρίας*, sive tres *τριττῦς*, sive tria *ἔθνη* exstitisse aliunde accepisse videntur, verba hac ratione interpretati sunt: *Φυλή* divisa est in partes tres, quae promiscue modo *φρατρίαι* modo *τριττύες* modo *ἔθνη* appellantur. Itaque apud Pollucem haec legimus: [VIII, III] *Εἰς τρία μέρη ἑκάστη [φυλή] διῄρητο καὶ τὸ μέρος τοῦτο ἐκαλεῖτο τριττὺς καὶ ἔθνος καὶ φρατρία.* Idem fere exstat apud Harpocrat. s. v. *γεννῆται*: *Ἑκάστη δὲ φυλὴ τριχῇ διῄρητο καὶ ἐκαλεῖτο ἕκαστον μέρος τούτων τριττὺς καὶ φρατρία.* Non mirum est, quod tertium illud, quod erat apud Aristotelem, *ἔθνος* omittit. Ne Harpocrationi quidem *ἔθνος* cum *φρατρίᾳ* vel *τριττύι* convenire visum est. Deinde idem ac quod hoc loco apud Harpocrationem legimus, aliis verbis apud Stephan. Byzant. supra laudatum significatur et in scholio nostro. Itaque omnes grammaticos excepto fortasse Platonis scholiasta videmus haec verba perperam interpretatos esse. Neque vero hoc iis tanto crimini demus, quoniam, ut iam dixi, verba tam obscura sunt, ut eum, qui de illis tribuum partibus aliunde nihil compertum habeat, perfacile in errorem rapiant.

Denique pauca habeo, quae annotem ad schol. v. 1541: *Τὸν κωλακρέτην· τὸν ταμίαν τῶν πολιτικῶν χρημάτων. Ἀριστοφάνης ὁ γραμματικὸς τούτους ταμίας εἶναί φησι τοῦ δικαστικοῦ μισθοῦ. οὐ μόνον δὲ τούτου τὴν ἐπιμέλειαν ἐποιοῦντο, ὥς φησιν, ἀλλὰ καὶ τὰ εἰς θεοὺς ἀναλισκόμενα διὰ τούτων ἀνηλίσκετο, ὡς Ἀνδροτίων γράφει οὕτως· »τοῖς δὲ ἰοῦσι Πυθῶδε θεωροῖς τοὺς κωλακρέτας διδόναι ἐκ τῶν ναυκληρικῶν ἐφόδιον ἀργύρια, καὶ εἰς ἄλλο ὅ τι ἂν δέῃ ἀναλῶσαι. ταμίαι δὲ ἦσαν καὶ προεστῶτες τῆς δημοσίας σιτήσεως.* [1]) Quibus in verbis mira exstat sententiarum repugnantia. Nam cum priore loco eos omnino toti aerario praefuisse aliquis contendat, subinde pauca tantum afferuntur, quae colacretae administrasse dicuntur. Qua re aut illud credideris aut hoc falso dici Sed non falsa sunt;

[1]) »*Ταμίαι δέ — — σιτήσεως* non videntur esse Androtionis verba«, Dübn. ad. h. schol annot.

nam cum colacretarum provinciam temporum decursu admodum mutatam esse Boeckhius doceat [l. l. pag. 237], illud ad antiquissima, hoc ad recentiora pertinet tempora rei publicae Atheniensis. Itaque initio quidem revera erant *ταμίαι τῶν πολιτικῶν χρημάτων.* [Cfr. Boeckh. l. l. pag. 237]. Postea vero ceteris muneribus in apodectas translatis nihil erant nisi *ταμίαι τοῦ δικαστικοῦ μισθοῦ καὶ προεστῶτες τῆς δημοσίας σιτήσεως* [Boeckh. l. l. pag. 239—40]. Atque etiam id, quod Androtion in scholio nostro colacretis attribuat, ad tempora antiquiora pertinere Boeckhius contendit. Quod cum argumentis confirmet, ego non possum non consentire neque habeo, quod ei opponam. Id tantum monuerim eum huius rei argumentum non e nostro scholio petere debuisse. Nam quod statuit Aristophanem in scholio nostro colacretis nihil nisi mercedis iudicialis administrationem attribuere, id eum perperam statuere aperte demonstrat illud *ὥς φησιν,* ex quo apparet ipsum Aristophanem esse eum, qui Androtionis verba afferat atque ex iis hoc colligat: *Οὐ μόνον δὲ τούτου τὴν ἐπιμέλειαν ἐποιοῦντο ἀλλὰ καὶ τὰ εἰς θεοὺς ἀναλισκόμενα διὰ τούτων ἀνηλίσκετο.* — Itaque quae exponuntur in scholio nostro, quamquam vera sunt, tamen parum accurate dicuntur, quia temporum rationem prorsus neglexerunt scholiastae.

§ 7.

Quae ex historia litteraria ad poëtae verba illustranda scholiastae attulerint.

Non solum historiarum scriptores sed etiam qui in litteras Graecas inquisituri sunt, e scholiis Aristophanis permulta haurire poterunt. Nam Aristophanes, qui quasi quidam iudex litterarum esse voluit, sexcentis locis interpretes admonuit, ut aut de natura atque vi singulorum poësis generum, aut de ipsis poëtis aut de operibus eorum nonnulla exponerent. Neque de iis tantum rebus, quas poëta attingit, disseruerunt scholiastae, sed etiam permultos aliorum poëtarum locos attulerunt, qui, quamquam ad eos Aristophanis verba non pertinebant, tamen ad illa illustranda iis aliquo modo idonei esse videbantur. Itaque cum ingens fragmentorum copia in scholiis

nostris inveniatur, fortasse operae pretium erit ea in unum locum componere, ut cognoscamus, quos potissimum poëtas scholiastae pertractare solitae sint.

Homerus. Iam veteribus grammaticis hic poëta, qui quasi omnium poëtarum pater est, inter ceteros ita excellere visus est, ut saepius *κατ' ἐξοχὴν* »*ὁ ποιητής*« appellatus sit, velut in scholl. v. 1379, 1310. Qua re non mirum est, quod eius libros »nocturna diurnaque manu« ita versaverunt, ut noverint non solum, quid scripserit, sed, id quod maius est, etiam quid non scripserit. Nam de verbis v. 575 *Ἶριν δέ γ' Ὅμηρος ἔφασκ' ἰκέλην βῆναι τρήρωνι πελείῃ* hoc optime adnotarunt: *Ὅτι ψεύδεται παίζων. οὐ γὰρ ἐπὶ Ἴριδος, ἀλλ' ἐπὶ Ἀθηνᾶς καὶ Ἥρας·* [Il. E. 778] *αἱ δὲ βάτην τρήρωσι πελειάσιν ἴθμαθ' ὁμοῖαι. οἱ δὲ ἐν ἑτέροις ποιήμασιν Ὁμήρου φασὶ τοῦτο φέρεσθαι. εἰσὶ γὰρ αὐτοῦ καὶ ὕμνοι.* [1]) Neque illud *Μουσάων θεράποντες ὀτρηροί*, quod Homerum dixisse poëta affirmat v. 913, in Homeri libris exstare non ignorat scholiastes, cum dicit: *Ἐπεπίστευτο δὲ καὶ ὁ Μαργίτης τοῦ Ὁμήρου εἶναι. ἐν ᾧ εἴρηται· Μουσάων θεράπων καὶ ἑκηβόλου Ἀπόλλωνος.* [2]) Deinde ad Aristophanis verba illustranda hos Homeri versus in auxilium vocarunt: Iliadis Z, v. 202 [schol. v. 42]; B, v, 531 [schol. v. 152], Z, v. 239 [schol. v. 167]; *Ξ*, v. 291 [schol. v. 261]; A, v. 140 [schol. v. 336]; *Λ*, v. 547 [schol. v. 383]; B, v. 571 [schol. v. 399]; *Γ*, v. 135 [schol. v. 402]; *Φ*, v. 366 [schol. v. 581]; Z, v. 146 [schol. v. 685]; A, v. 424 [schol. v. 1177]; E, v. 800 [schol. v. 1636]; *Δ*, v. 6 [schol. v. 1648]. — Odysseae N, v. 407 [schol. v. 13]; *Θ*, v. 80 [schol. v. 192]; T, v. 522 [schol. v. 212]; I, v. 223 [schol. v. 598]; I, v. 347 [schol. v. 1310]; *Γ*, v. 13 [schol. v. 1427] *Γ*, v. 332 [schol. v. 1705].

Hesiodus. Laudantur eius Op. v. 484 [schol. v. 505]; Op v. 446 [schol. v. 709]; Op. v. 45 et v. 627 [schol. v. 711]; Scut. v. 283 [schol. v. 1426]. Denique ex incerto poëmate versus affertur in schol. v. 609.

Lyricorum haec inveniuntur nomina:

---

[1]) Conferas Kockii ad h. v. annot.: In der Ilias und Odyssee kommt dieser Ausdruck nicht vor; vielmehr von Athene und Hera Il 5, 778. ..... Aber sehr verständig Schol.: *οἱ δὲ ἐν ἑτέροις κτλ.* Denn Hymn. I, 114 von Iris und Eileithyia: *βὰν δὲ ποσὶν τρήρωσι πελειάσιν ἴθμαθ' ὁμοῖαι.*

[2]) Cfr. Kock. ad v. 909 annot.

Archilochus. Ex epinicio aliquo, quod in Herculem composuisse dicitur, pauci versus afferuntur in schol. v. 1764. Eiusdem fabulae illius, quae erat de vulpe et aquila, mentio fit in schol. v. 651. [Cfr. Kock. ad h. v. annot.]

Alcman. Laudatur in schol. v. 250. Deinde versum »βάλε δὴ βάλε κηρύλος εἴην«, quem in schol. v. 299 Euphronius affert, Alcmanis esse cognoscere possumus ex Antigono Carystio [Hist. mirab. 27] [Cfr. Dind. ad h. schol. annot.]

Alcaeus. Schol. v. 1410; schol. v. 1648.

Stesichorus. Schol. v. 1302.

Ibycus. Schol. v. 1302; schol. v. 192.

Anacreon. Complures versus afferuntur in schol. v. 1372.

Simonides. Schol. v. 1410; schol. v. 1301.

Pindarus. Pyth. I, 11 in schol. v. 515 Nem. I, 1 in schol. v. 1121. E carminibus nobis ignotis pauci versus afferuntur in schol. v. 926 et in schol. v. 941.

Bacchylides. Schol. v. 1536.

Theocritus. Schol. v. 71.

Callimachus Schol. v. 598; schol. v. 832; schol. v. 261.

Traegoediarum scriptores in scholiis hi occurrunt:

Aeschylus. *Ἠδωνοί* [schol. v. 276]; *Νιόβη* [schol. v. 1247]; *Μυρμιδόνες* [schol. v. 799; schol. v. 807; schol. v. 808; schol. v. 1256; schol. v. 1420]. Denique ad versum incertae fabulae Aeschyleae scholiastes nos revocat in schol. v, 1680.

Sophocles. *Θηρεύς* [schol v. 100; schol. v. 281]. *Τυρὼ δευτέρα* [schol. v. 275]. *Φιλοκτήτης* [schol. v. 275]. *Πηλεύς* [schol. v. 851; schol. v. 857]. *Αἴας Λοκρός* [schol. v. 933]. *Ἴναχος* [schol. v. 1203]. *Οἰνόμαος* [schol. v. 1337]. Ex incertis fabulis versus afferuntur in schol. v. 1240 et in schol. v. 515.

Euripides. *Ἀνδρομέδα* [schol. v. 348]. *Φοίνισσαι* [schol. v. 348; schol. v. 424 v. 588]. *Παλαμήδης* [schol. v. 842] *Λικύμνιος* [schol. v. 1242]. *Τρῳάδες* [schol. v. 1720]. *Αἰγεύς* [schol. v. 494]. *Πειρίθους* [schol. v. 179].

Philocles. Eius tetralogiae, quae inscribebatur *Πανδιονίς*, primus versus affertur in schol. v. 281.

Achaeus Eretrius. *Φιλοκτήτης* [schol. v. 364. Cfr. Suid. s. v. ἐλελελεῦ].

Ion. *Ἀγαμέμνων* [schol. v. 1110]. *Ὀμφάλη* [schol. 1680].

Sequntur comoediarum auctores:

Cratinus. *Κλεοβουλῖναι* [schol. v. 31]. *Πυλαία* [schol. v. 121; schol. 766]. *Νέμεσις* [schol. v. 521; schol. v. 858]. *Χείρωνες* [schol. 766]. *Ὧραι* [schol. v.. 766]. *Δηλιάδες* [schol. v. 1294]. Ex incertis fabulis versus afferunt scholiastae in schol. v. 365 et in schol. v. 1536.

Eupolis. *Χρυσοῦν γένος* [schol. v. 42]. *Βάπται* [schol. v. 129] *Κόλακες* [schol. v. 283; schol. v. 877]. *Δῆμοι* [schol. v. 822; schol. v. 877; schol. v. 1569]. *Προσπάλτιοι* [schol. v. 839]. *Πόλεις* [schol. v. 880; schol. v. 1297]. *Ταξίαρχοι* [schol. v. 1294]. *Ἀστράτευτοι* [schol. v. 1556]. *Μαρικᾶς* [schol. v. 1556]. E fabula incerta versus affertur in schol. v. 1379.

Phrynichus. *Μονότροπος* [schol. v. 11; schol. v. 997; schol. v. 1297]. *Κρόνος* [schol. v. 988]. *Ποάστριαι* [schol. v. 1297]. [1]) *Ἐφιάλτης* [schol. v. 1297]. *Σάτυροι* [schol. v. 1463]. *Κωμασταί* [schol. v. 1569].

Pherecrates. *Ἄγριοι* [schol. 858; schol. v. 1294].

Platon. *Ὑπέρβολος* [schol. v. 121]. *Σκευαί* [schol. v. 151]. *Σύρφαξ* [schol. v. 168]. *Σοφισταί* [schol. v. 299]. *Ἑορταί* [schol. v. 798]. *Περιαλγής* [schol. v. 1297]. [1]) *Νῖκαι* [schol. v. 1297]. *Πείσανδρος* [schol. v. 1556]. *Λάκωνες* [schol. v. 471].

Aristophanes. *Νεφέλαι* [schol. v. 7; schol. v. 122; schol. v. 692]. *Ἱππεῖς* [schol. v. 869; schol. v. 978]. *Θεσμοφοριάζουσαι* [schol. v. 1295]. *Εἰρήνη* [schol. v. 873]. *Βάτραχοι* [schol. v. 1133]. *Πλοῦτος* [schol. v. 533]. *Νῆσοι* [schol. v. 296; schol. v. 440]. *Ἥρωες* [schol. v. 798]. *Ἀνάγυρος* [schol. v. 1292]. *Βαβυλώνιοι* [schol. v. 1556]. *Γεωργοί* [schol. v. 1701]. *Ὁλκάδες* [schol. v. 1283]. *Ὧραι* [schol. v. 874]. Denique versus, qui est in schol. v. 538, Aristophanis est, ut demonstrat Duebnerus in annot. ad h. schol.

Callias. *Πεδῆται* [schol. v. 31; schol. v. 151].

Hermippus. *Τρίμετροι* [schol. v. 1150]. *Τετράμετροι* [schol.

---

[1]) Verba scholii *Δηλοῖ δὲ τοῦτο Ἀριστοφάνης ἐν Περιαλγεῖ· »χρηστὸν μὴ κατὰ Μειδίαν ὀρτυγοκόπον«. λέγει δὲ ἐν Ποαστρίαις ὁ αὐτός κτλ.* valde corrupta sunt. Nam Aristophanes neque illam neque hanc composuit; immo illa est Platonis, haec Phrynichi. Qua re est verisimile verba *λέγει δὲ ἐν Ποαστρίαις ὁ αὐτός* olim inferius post verba *ὡς Φρύνιχος ἐν Ἐφιάλτῃ* lecta esse. Cfr. Dind. ad h. schol. annot.

v. 303]. *Κέρκωπες* [schol. v. 1406]. *Θεοί* [schol. v. 1551]. *Ἀρτοπώλιδες* [schol. v. 1556]. *Φορμοφόροι* [schol. v. 750].

Archippos. *Πλοῦτος* [schol. v. 1648].

Teleclides. *Ἀμφικτύονες* [schol. v. 988]. *Ἡσίοδοι* [schol. v. 1126].

Theopompus. *Καπηλίδες* [schol. v. 1406]. *Παῖδες* [schol. v. 1569]. *Τισαμενός* [1]) [schol. v. 31].

Ameipsias. *Κόννος* [schol. v. 988].

Strattis. *Κινησίας* [schol. v. 1569].

Philyllius. *Πλύντριαι* [schol. v. 1569].

Ὁ τὰς Ἀταλάντας γράψας, quem a Strattide, qui Atalantam scripserit, diversum esse existimat Dindorfius in annot. ad h. schol. Idem poëta citatur ab Hesychio s. v. *Διονυσιοκουροπυρώνων*: »*Ὁ τὰς Ἀταλάντας συνθείς*«. Versus huius poëtae affertur in schol. v. 1294.

Metagenes. *Αὖραι* [schol. v. 873]. *Ὅμηρος* [schol. v. 1297].

Nicophon. *Ἐγχειρογάστορες* [schol. v. 1551]. *Ἀφροδίτης Γοναί* [schol. v. 82; schol. v. 1283].

Alcaeus. *Ἐνδυμίων* [schol. v. 1701].

Myrtilos *ἐν Τιτανόπασι* [schol. v. 1490].

Philetaerus. *Μῆνες* [schol. v. 1047].

Mnesimachus. *Φαρμακοπώλη* [schol. v. 471].

Philemon. [schol. v. 39].

Menander. *Συνέφηβοι* [schol. v. 1490]. *Δάρδανος* [schol. v. 1563]. Ex incertis fabulis versus afferuntur in schol. v. 374; schol. v. 1258.

Denique versus valde corruptus a Symmacho in schol. v. 1283 affertur, quem Sophronis esse vel Epicharmi viri docti dubitanter coniciunt. Cfr. Duebn. ad h. schol. annot.

Deinde e philosophorum quoque et oratorum libris loci nonnulli afferuntur:

Platon. [schol. v. 475; schol. v. 695; schol. v. 1701].

Demosthenes. [schol. v. 126; schol. v. 850].

Hyperides. [schol. v. 880 *ἐν τῷ Δηλιακῷ*].

---

[1]) Illud *Τισαμενόν* quod est in scholio: *Θεόπομπος δὲ καὶ τὸν πατέρα αὐτοῦ Σάκαν προσηγόρευσεν Τισαμενόν* mutandum esse in *Τισαμενῷ* demonstrat schol. Vesp. v. 1221: *Θεόπομπος Τισαμενῷ οὐ κοινῶς ξένον [τὸν Ἀκέστορα], ἀλλὰ Μυσόν*.

Thrasymachus. [schol. v. 880 ἐν τῇ μεγάλῃ τέχνῃ].

Denique oracula proverbiaque, quae et ipsa quodam modo ad litteras Graecas pertinent, diligenter annotarunt. Itaque occurrunt

Oracula in scholl. v. 968, v. 978.

Proverbia in scholl. v. 82, v. 134, v. 301, v. 369, v. 507, v. 601, v. 733, v. 902, v. 1147, v. 1292, v. 1393, v. 1417, v. 1432.

Hi loci aut ab Aristophane ipso attinguntur (velut versus Homeri in scholl. v. 575, v. 913; Hesiodi in scholl. v. 709, v. 711; Alcaei et Simonidis in schol. v. 1410; Anacreontis in schol. v. 1372; tragicorum in scholl. v. 276, v. 1247; v. 799, v. 275, v. 851, v. 348, v. 807 etc.), aut a scholiastis afferuntur ad structuras grammaticas illustrandas (velut versus Homeri in scholl. v. 167, v. 383; Hesiodi in schol. v. 1426), aut vocabulorum vim et formam explicant (velut versus Homeri in scholl. v. 42, v. 581, v. 598, v. 1427; Alcaei in schol. v. 1648; Ibyci in scholl. v. 192; tragicorum in scholl. v. 1256, v. 1680, v. 933, v. 588, comicorum in scholl. v. 121, v. 129, v. 839, v. 122), aut ad res vel ad homines pertinent, quorum mentionem fecit Aristophanes (velut versus Homeri in scholl. v. 152, v. 261, v. 399, v. 192; Hesiodi in schol. v. 505; Pindari in schol. v. 515; Bacchylidis in schol. v. 1536; Theocriti in schol. v. 71; tragicorum in scholl. v. 1203, v. 515, v. 494; comicorum in scholl. v. 1536, v. 1880, v. 869, v. 873, v. 1133, v. 874, v. 303, v. 1490 etc.) [1]) Omnium autem saepissime Homerum et comicos videmus a scholiastis in auxilium vocatos esse, qua ex re apparere videtur eos in horum poëmatis maxime versatos esse. Deinde qui tantam locorum copiam ex diversissimis operibus collegerunt, sine dubio in numero habendi sunt veterum grammaticorum, qui Alexandriae litteris operam navabant, id quod etiam ea re confirmari videtur, quod plurimi versus in scholiis

[1]) Horum in numero ii potissimum comicorum versus habendi sunt, quos afferunt interpretes de hominibus ab Aristophane commemoratis, de quibus eos aliunde quid petere aut non potuisse aut noluisse supra vidimus. Sunt vero eiusmodi loci comicorum ab interpretibus allati permulti. Conferas Cratini versus in scholl. v. 31, v. 766, v. 521. v. 858, v. 1294; Eupolidis in scholl. v 283, v. 877, v. 822. v. 1569, v. 1297, v. 1294, v. 1556; Phrynichi in scholl. v. 11, v. 997, v. 1297, v. 988, v. 1569; Pherecratis in scholl. v. 858, v. 1294, Platonis in scholl. v. 151, v. 168, v. 299, v. 798, v. 1297, v. 1556, v. 471; Aristophanis in scholl. v. 692, v. 1295, v. 440, v. 798, v. 1292; Calliae in scholl. v. 31, v. 151; Hermippi in scholl. v. 1406, v. 1556; Teleclidis in scholl. v. 988, v. 1126 etc.

allati scripturae mendis quam maxime corrupti et depravati sunt [Cfr. versum Aeschyli in schol. v. 276; Eupolidis in schol. v. 42; Hermippi in scholl. v. 303, v. 1551; Nicophontis in schol. v. 1551; Menandri in schol. v. 1490]. Nam, ut iam dixi in praefatione, recentiorum Graeculorum annotationes argumento quidem inferiores sunt, sed scripturae et sermonis munditia praestant iis, quae iam a grammaticis Alexandrinis exhibitae per manus plurimorum interpretum traditae sunt.[1]) Attamen nomina eorum, qui primi versus attulerunt, perraro in scholiis apposita invenimus. [Cfr. scholl. v. 299, v. 1337, v. 348, v. 424, v. 988, v. 1283]. Neque hoc mirum est, quoniam scholiastae nostri, cum annotationes e veteribus commentariis in codicum margines transcribentes eas in angustum ambitum constringere cogerentur, nihil nisi gravissima quaeque afferre poterant itaque nomina auctorum, quae iis nullius viderentur esse momenti, plerumque afferre supersedebant. — Itaque multum operae laborisque veteres interpretes in poëtarum locis, qui ad verba Aristophanis illustranda idonei essent, colligendis consumpserunt. Neque tamen omnes ex ipsis poëtarum libris petiverunt, sed sunt quoque, quos ex operibus aliorum grammaticorum hauserint. Ita quae ex Aeschyli fabula nescio qua et ex Ionis Omphale afferunt in schol. v. 1680, ea non in ipsis fabulis legerunt sed petiverunt e libro Herodiani, ut verba scholii aperte demonstrant: *Καὶ Αἰσχύλος τὸ βαρβαρίζειν χελιδονίζειν φησὶ καὶ Ἴων ἐν Ὀμφάλῃ τοὺς βαρβάρους χελιδόνας ἀρσενικῶς φησιν, ὡς Ἡρωδιανὸς ἐν τῷ πρώτῳ τῆς καθόλου φησίν.* Neque Alcmanis versum *βάλε δὴ βάλε κηρύλος εἴην*, quem in schol. v. 299 Euphronius affert, crediderim eum ex ipso Alcmanis carmine petivisse. Nam quia apud Antigonum Carystium [Hist. mirab. 27] eodem loco, quo verba eiusdem paullo post in scholio nostro allata *Ἀντίγονος δέ φησι τοὺς ἄρσενας τῶν ἀλκυόνων κηρύλους λέγεσθαι κτλ.* leguntur, etiam ille Alcmanis versus exstat, profecto admodum mirabile esset, si versum apud Antigonum tam arte cum his verbis cohaerentem non ex eodem loco Euphronius petivisset. Quam ob rem mihi quidem persuasum est Euphronium totum Antigoni locum (i. e. et ea, quae

[1]) Idem de versuum allatorum origine censet Bernhardyus Hist. Litt. Graec. III, pag. 670 cum dicit: »Der ältere kernhafte Bestand [der Scholien] glänzt durch gründliche Gelehrsamkeit, erlesene Fragmente, brauchbare Notizen zur Interpretation« etc.

in scholio sub nomine Antigoni legimus, et versum Alcmanis) in commentarium suum transcripsisse atque ab Euphronio scholiastam omnia accepisse. Quod si vere dixi, iam apparet versum Alcmanis Euphronio e libro Antigoni innotuisse. — Alia rursus, quae afferunt de poëmatis aut de poëmatum locis, coniectura tantum assecuti sunt. Ita qui in scholio v. 281 dicit: *Εἴη ἂν οὖν* [*ὁ Φιλοκλῆς*] *τὸν ἔποπα ἐσκευοποιηκὼς τῇ Πανδιονίδι τετραλογίᾳ, ἣν καὶ Ἀριστοτέλης ἐν ταῖς Διδασκαλίαις ἀναγράφει,* certe hanc tetralogiam suis oculis numquam vidit, ut demonstrat illud *εἴη ἂν οὖν*. Similia videntur ea esse, quae leguntur in schol. v. 1242: *Ἐν δὲ τοῖς ἐπιγεγραμμένοις Ἀπολλωνίου* [1]) *ταῦτα γέγραπται, ὅτι ἡμίφλεκτόν τινα εἰσάγει εἰς τοιοῦτό τι κεκεραυνωμένον ἀπὸ τῆς περιστάσεως ἐκείνης.... ἐν Λικυμνίῳ δράματι Εὐριπίδου εἰσήχθη τις κεραυνοβολούμενος.* Nam cum his verbis si contulerimus Hesychium s. v. *Λικυμνίαις βολαῖς*: *Κεραυνοῦται γὰρ ἡ ναῦς κατὰ τὸν ἐκεῖ λόγον· οὐχ ὡς αὐτοῦ τοῦ Λικυμνίου κατεσκημμένου,* certe assentiemur verbis Nauckii et Bakhuyzenii: »Verba partim corrupta sunt, partim ab interpretibus scripta, qui de Licymnio nihil scirent. [Cfr. Bakhuyz. l. l. pag. 86].

Haec de locis allatis hactenus. Iam videamus, quae de poëtis, de poëtarum operibus, de poësis generum vi atque natura disseruerint. Prorsus eandem rationem eos iniisse videbimus atque in ceteris rebus describendis. Alia ex operibus veterum hominum doctorum petiverunt, alia coniectura collegerunt ex ipsis Aristophanis verbis. Libri vero, qui in scholiis ad Aves exhibitis laudantur proprie in studio litterarum versantes, hi sunt:

Aristoteles. *Διδασκαλίαι* laudantur in schol. v. 281 et in schol. v. 1379.

Dicaearchus *ἐν τῷ περὶ Διονυσιακῶν ἀγώνων* laudatur in schol. v. 1403 de primo dithyramborum scriptore. De hoc homine docto dicit Muellerus [Fragm. Histor. Graec. II pag. 226] hoc: »Unanimi veterum consensu inter eos recensetur, qui exquisitae doctrinae copia

---

[1]) Hic Apollonius quisnam fuerit, non liquet. Cfr. Stoecker »De Sophoclis et Aristophanis interpretibus Graecis« pag. 8. Id solum nobis videmur posse pro certo affirmare eum talem esse, qui in Aristophanis fabulis explicandis versatus sit. Nam etiam in scholl. Ran. v. 420, v. 501, v. 849, v. 963, v. 1338, v. 1437 Apollonii cuiusdam sententiae afferuntur, quae aperte ad Aristophanis verba pertinent.

et varietate docendique facultate principem locum in republica litteraria obtinuerint«.

In eodem scholio laudatur

Hellanicus *ἐν Καρνεονίκαις*. In Codicibus legitur *ἐν Κραναϊκοῖς*. Sed cum Cod. Ven. habeat lectionem *ἐν Καρναϊκοῖς*, non dubium esse videtur, quin legendum sit *ἐν Καρνεονίκαις*. Cfr. Muell. l. l. Praef. pag. 29.

Ex his fontibus et aliis multa memoratu digna attulerunt. Pauca proponamus: Schol. v. 281: *Ἐστὶ δὲ ὁ Φιλοκλῆς τραγῳδίας ποιητής, καὶ Φιλοπείθους υἱὸς ἐξ Αἰσχύλου ἀδελφῆς. ὅσοι δὲ Ἁλμίωνος αὐτόν φασιν, ἐπιθετικῶς λέγουσι διὰ τὸ πικρὸν εἶναι. ἅλμη γὰρ ἡ πικρία. γεγόνασι δὲ Φιλοκλεῖς δύο τραγῳδιῶν ποιηταί. εἷς μὲν ὁ Φιλοκλέους ἀπόγονος· ἐκείνου μὲν γὰρ υἱὸς Μόρσιμος· τούτου δὲ Ἀστυδάμας, ἐκ τούτου δὲ Φιλοκλῆς καὶ ἕτερος ὁ κατὰ τὴν αὐτὴν ἡλικίαν περιπεπτωκὼς τῷ νεωτέρῳ Φιλοκλεῖ.* Verba sunt corruptissima; sed si respicimus Suidae verba s. v. *Φιλοκλῆς*: *Αἰσχύλου δὲ τοῦ τραγικοῦ ἦν ἀδελφιδοῦς καὶ ἔσχεν υἱὸν Μόρσιμον τὸν τραγικόν, οὗτινος γίνεται Ἀστυδάμας ὁ τραγικός, τούτου δ' ἕτερος Φιλοκλῆς τραγικός*, et s. v. *Ἀστυδάμας*: *Ὁ πρεσβύτης υἱὸς Μορσίμου τοῦ Φιλοκλέους ..... Ἀστυδάμας ὁ νέος υἱὸς τοῦ προτέρου*, facile hunc in modum emendantur: *Γεγόνασι δὲ Φιλοκλεῖς δύο τραγῳδιῶν ποιηταί. εἷς μὲν ὁ Φιλοπείθους υἱός, ἕτερος δὲ Φιλοκλέους ἀπόγονος. ἐκείνου μὲν γὰρ υἱὸς Μόρσιμος· τούτου δὲ Ἀστυδάμας, ἐκ τούτου δὲ Φιλοκλῆς καὶ ἕτερος Ἀστυδάμας ὁ κατὰ τὴν αὐτὴν ἡλικίαν περιπεπτωκὼς τῷ νεωτέρῳ Φιλοκλεῖ.* [Cfr. O. Muell. Hist. litt. II pag. 173]. Tum de Phrynicho comico et Phrynicho poëta tragico haec docet schol. v. 750: *Τέσσαρες δὲ ἐγένοντο Φρύνιχοι. ὁ μὲν εἷς οὗ νῦν μνημονεύει, Πολυφράδμονος παῖς, ποιητὴς ἡδὺς ἐν τοῖς μέλεσιν .... τρίτος· Φρύνιχος ὁ κωμικός, οὗ μέμνηται Ἕρμιππος ἐν Φορμοφόροις ὡς ἀλλότρια ὑποβαλλομένου ποιήματα*; deinde de Aesopo in schol. v. 471 haec: *Ἦν δὲ ὁ Αἴσωπος Θρᾴξ· ἠλευθερώθη δὲ ὑπὸ Ἴδμονος τοῦ κωφοῦ. ἐγένετο δὲ πρῶτον Ξάνθου δοῦλος.* [1]) Denique de Cinesia poëta in schol. v. 1379 haec exstat brevis annotatio: *Ὁ δὲ Ἀριστοτέλης ἐν ταῖς Διδασκαλίαις δύο φησὶ γεγονέναι.* — De temporibus fabularum doctarum agitur in his scholiis: Schol. v. 997: *Καθεῖται δὲ*

---

[1]) Haec ex Aristotelis Re pupublica Samiorum petita esse vidimus p. 40—41.

καὶ ὁ Μονότροπος ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ Χαβρίου, ὡς εἴρηται. Idem dicitur in prima fabulae nostrae hypothesi: *Ἐδιδάχθη ἐπὶ Χαβρίου διὰ Καλλιστράτου ἐν ἄστει, ὃς ἦν δεύτερος τοῖς Ὄρνισι, πρῶτος Ἀμειψίας Κωμασταῖς, τρίτος Φρύνιχος Μονοτρόπῳ.* Euripidis Palamedem paullo ante Aves doctum esse recte annotat scholiastes in schol. v. 842 his verbis: *Μήποτε δὲ παρακωμῳδεῖ τὸν Εὐριπίδου Παλαμήδην οὐ πρὸ πολλοῦ δεδιδαγμένον* [Cfr. Bernhardy. Hist. litt. III pag. 476—77]. In schol. v. 348 non ignorat scholiastes aliquis Euripidis Andromedam et Phoenissas post Aves doctas esse, qua ex re argumentum ad sententiam Asclepiadis cuiusdam refellendam sibi petivit: *Παρὰ τὸ Εὐριπίδου ἐξ Ἀνδρομέδας »ἐκθεῖναι κήτεϊ φορβάν«, ὡς Ἀσκληπιάδης τὰ μηδέπω διδαχθείσης τῆς τραγῳδίας παρατιθέμενος, ὡς καὶ τὸ »σὰ γὰρ ταῦτα πάντα καὶ τὸ τῇδε καὶ τὸ κεῖσε« παρὰ τὰ ἐκ τῶν μηδέπω διδαχθεισῶν Φοινισσῶν φησιν »κἀκεῖσε καὶ τὸ δεῦρο, μὴ δόλος τις ᾖ«.* [1]) Definitius scholiastes in schol. Ran. v. 53 hoc dicit: *Ἡ δὲ Ἀνδρομέδα ὀγδόῳ ἔτει προεισῆλθεν.* [Cfr. Bernh. l. l. pag. 453 et pag. 485]. Itaque videmus scholiastarum annotationes, quae hanc rem spectent, fide satis dignas esse, neque dubium est, quin fluxerint ex uno eoque optimo fonte, quem omnes consentiunt fuisse Aristotelis Didascalias. [2])

Ad res scenicas haec pertinent scholia: Schol. v. 297: *Ἀπὸ τούτου ἡ καταρίθμησις τῶν εἰς τὸν χορὸν συντεινόντων προσώπων κδ´, ἐν περιττῷ ληφθέντων τῶν προκατειλεγμένων. ὁ δὲ τραγικὸς ιε´ πρόσωπα ἔχει.* In schol. v. 445 non ignorat scholiastes quinque fuisse certaminum comicorum iudices: *Ἔκριναν ε´ κριταὶ τοὺς κωμικούς.* Denique in schol. v. 750 scholiastes histrionem quendam commemorat, cui nomen fuerit Phrynicho: *Ὁ ἕτερος [Φρύνιχος] Χοροκλέους παῖς, ὑποκριτής.* Idem histrio occurrit in scholl. Nub. v. 1091 et Vesp. v. 1302, et ad eundem Vesparum versum 1490 et versum 1524 pertinere I. Richterus contendit. [3])

De poësis generibus et eorum origine et vi hae exstant scholiastarum annotationes: Schol. v. 1403: *Ἀντίπατρος δὲ καὶ Εὐφρόνιος ἐν τοῖς ὑπομνήμασί φασι τοὺς κυκλίους χοροὺς στῆσαι πρῶτον Λᾶσον τὸν Ἑρμιονέα, οἱ δὲ ἀρχαιότεροι Ἑλλάνικος καὶ Δικαίαρχος Ἀρίονα*

[1]) Cfr. quae de his scholiastae verbis exposuimus pag. 16.

[2]) Cfr. Pausan. I, 20. Bernh. l. l. III pag. 141; 152.

[3]) Cfr. Richteri ad h. versus annotationes. Meinecke Com. I pag. 148—49.

τὸν Μηθυμναῖον, Δικαίαρχος μὲν ἐν τῷ περὶ Διονυσιακῶν ἀγώνων, Ἑλλάνικος δὲ ἐν ταῖς Καρνεονίκαις. Arionem primum dithyrambos composuisse inter omnes constat. Antipatri vero et Euphronii error inde ortus est, quod Lasus dithyramborum vim et naturam ita immutavit, ut sit quodam modo novi dithyramborum generis inventor. [Cfr. Bernhard. l. l. II, pag. 619]. De natura dithyramborum in schol. v. 918 hoc dicitur: *Κύκλια δὲ καλοῦνται μέλη τὰ ἐπεκτεταμένα. ἔστι δὲ διηγηματικόν.* Quod certe brevius et obscurius dictum est, neque num recte dicatur, brevibus verbis potest demonstrari. Quam ob rem lectores revocaverim ad Bernhard. Hist. litt. II, pag. 618; 651, ubi, quod scholiastes noster contendit, testimoniis aliorum veterum scriptorum firmatur. Ac primum quidem quod dicit scholiastes dithyramborum genus esse *διηγηματικόν*, vel maxime probat illud Platonis: *Ἡ δὲ δι' ἀπαγγελίας αὐτοῦ τοῦ ποιητοῦ· εὕροις δ'ἂν αὐτὴν μάλιστά που ἐν διθυράμβοις.* Deinde cum verbis scholiastae *μέλη ἐπεκτεταμένα* optime conveniunt verba Pindari: *Πρὶν μὲν εἷρπε σχοινοτένειά τ' ἀοιδὰ διθυράμβων.*[1]) — Quae sint *προσόδια μέλη*, diserte docet schol. v. 853: *Καὶ προσόδια τὰ εἰς πανηγύρεις τῶν θεῶν ποιήματα παρὰ τῶν λυρικῶν λεγόμενα.* Ad poëtae verba v. 857 *Πυθιὰς βοά* scholiastes recte hoc annotat: *Ἡ μετ' αὐλοῦ γινομένη βοή. τὸ Πύθιον μέλος. ἔνθεν καὶ πυθαύλης γίνεται. οὕτω ἔλεγον τὸν παιᾶνα.* [Cfr. Kockii ad h. v. annot.; Bernhard. l. l. II, pag. 625—26]. Denique de carminibus, quae dicuntur *ἔλεγοι*, in schol. v. 217 recte haec dicuntur: *Ἀντὶ τοῦ τοῖς θρήνοις. εἴρηται δὲ ἀπὸ τοῦ ἒ ἒ λέγειν. Δίδυμος δέ φησιν ὅτι οἱ πρὸς αὐλὸν ᾀδόμενοι θρῆνοι. τὸν γὰρ αὐλὸν πένθιμον ὑπειλῆφθαι.* [Cfr. Bernh. l. l. II, 467—68; O. Muell. Hist, litt. I, pag. 175—76].

Itaque etiam de litteris Graecis scholiastas videmus multa recte disseruisse. Rursus alia, quae de his rebus contendunt, falso dicuntur. Ac primum quidem qui in schol. v. 521 dicit: *Ἔζη δὲ ἐπὶ τῆς τῶν Ὀρνίθων διδασκαλίας [ὁ Λάμπων], οὐχ, ὥς τινες, ἐτεθνήκει. πολλῷ γὰρ ὕστερον Κρατῖνος ἐν τῇ Νεμέσει οἶδεν αὐτὸν ζῶντα,* aperte errat, cum existimat Cratini Nemesin aliquanto post Aves Aristophanis doctam esse. [Cfr. Duebn. ad h. schol. annot.] Qui error idem est atque eius, qui in schol. v. 1022 contendit: *Πλάττει*

---

[1]) Et Pindari et Platonis verba affert Berhardy l. l.

καινὴν ἀρχήν. οὐ γὰρ ἦν Ἀθήνησι. [1]) Scholiastes aliquid scire sibi visus est, quod revera nesciebat. Deinde dubitationem habet, quod scholiastes narrat in schol. v. 471: Τῶν δὲ μύθων οἱ μὲν περὶ ἀλόγων ζῴων εἰσὶν Αἰσώπειοι, οἱ δὲ περὶ ἀνθρώπων Συβαριτικοί, εἰσὶ δέ τινες, οἳ τοὺς βραχεῖς καὶ συντόμους λέγουσι Συβαρίτιδας, καθάπερ Μνησίμαχος ἐν Φαρμακοπώλῃ. Idem exponit schol. Vesp. 1259. Hoc modo inter se differre fabulas Aesopicas et Sybariticas concedit O. Muellerus [Hist. litt. I pag. 243; 245], negat I. Richterus [in annot. ad Vesp. v. 1259], ac mihi quidem recte negare videtur. Nam ceteri scriptores veteres de hac differentia nihil tradunt. Hesychius s. v. Συβαριτικοὶ λόγοι et Suidas s. v. Συβαριτικαῖς omnino nihil interesse contendunt. Hermogenes vero orator et Theon mathematicus (quos laudat Kockius in annot. ad v. 471) rem ita comparatam esse dicunt, ut singulae fabulae Sybariticae, Libycae etc., omnes promiscue Aesopicae appellatae sint: Ὀνομάζονται δὲ ἀπὸ τῶν εὑρόντων οἱ μὲν Κύπριοι, οἱ δὲ Λιβυκοί, οἱ δὲ Συβαριτικοί, πάντες δὲ κοινῶς Αἰσώπειοι λέγονται. Deinde fabula Aesopica, quam narrat Philocleo Vesp. v. 1401—1405 simillima est fabulae Sybariticae, quae exstat Vesp. v. 1435—1440. Nam illa loco Aesopus canem latrantem admonet praestare panem emere quam maledicta dicere; hoc loco patera a muliere quadam fracta se illam accusaturam esse minitatur, sed a muliere admonetur, ut potius medelam quaerat vulneri quam accuset. Itaque in fabula Aesopica canem, in fabula Sybaritica pateram ob iracundiam temere agentem homo aliquis verbis castigat. Minime igitur diligentius consideranti illa differentia, quam statuit scholiastes, adest, quia in utraque fabula homo aliquis primas partes agit. Denique scholiastae ipsi haesitant, cum fabulas Sybariticas modo dicunt esse περὶ ἀνθρώπων, modo βραχεῖς καὶ συντόμους. Quam ob rem ut is, qui dicit fabulas Sybariticas esse βραχεῖς καὶ συντόμους hoc ex verbis quibusdam Mnesimachi comici collegit, ita eum, qui contendat eas esse περὶ ἀνθρώπων, mihi persuasum est hoc collegisse ex exemplis, quae sint Vesp. v. 1427 sqq; v. 1435 sqq. Eadem est sententia Richteri, qui in annot. ad Vesp. v. 1259 dicit: »Ex ipso comico scholiasta sua hausit; fabulae enim Sybariticae, quas narrat senex v. 1427. 1437, re vera περὶ ἀνθρωπίνων πραγμάτων sunt«. Bernhardy. l. l.

[1]) Cfr. quae exposuimus pag. 48.

III pag. 789] dubitat, cum dicit: »Vielleicht ist nur aus dem Zusammenhang geschlossen, was Schol. Vesp. 1259 lehrt etc.«. Itaque, cum ceteri grammatici contra dicant, haec scholiastarum annotatio nihil valere videtur. — Verba versuum 682 sqq. Ἀλλ' ὦ καλλιβόαν κρέκουσ' αὐλὸν φθέγμασιν ἠρινοῖς, ἄρχου τῶν ἀναπαίστων magnam inter viros doctos contentionem moverunt. Nam quid sibi vult illud ἄρχου τῶν ἀναπαίστων? Alii, ut Leutschius [Philol. I. pag. 492 sqq] contendunt his verbis chorum lusciniam adhortari, ut tibia concinat ei, qui anapaestos canat. Ἄρχεσθαι igitur fere idem significare ac praeire. Alii, ut Hermannus [Wien. Jahrb. C, VI, pag. 134] ita verba vertunt: Incipe, luscinia, anapaestos recitare. Contendunt igitur ipsam lusciniam, non chorum vel coryphaeum anapaestos recitasse. Itaque cum videamus hanc quaestionem difficillimam esse, non eam diiudicare audemus. Id vero licet affirmare pronunciationem parabaseos, quae sit comoediae pars principalis, in omnibus comoediis eandem fuisse. Ergo anapaesti aut semper aut numquam tibia concinente cantati sunt. Quam ob rem scholiastes cum dicit in schol. v. 682: Π ο λ λ ά κ ι ς πρὸς αὐλὸν λέγουσι τὰς παραβάσεις, nihil dicit. Hoc ut contenderet, sine dubio nihil eum adduxit nisi ipsa verba Aristophanis atque cum aliunde nihil ei suppeteret ad hanc sententiam firmandam, non universe dicere ausus est: πρὸς αὐλὸν λέγουσι παραβάσεις, sed quasi dubitans: Π ο λ λ ά κ ι ς πρὸς αὐλὸν λέγουσι τὰς παραβάσεις.

Sententiae controversae.

I. Aristoph. Ran. versuum 180—183 hic est ordo verus et principalis:

ΔΙΟΝ: τουτὶ τί ἐστι; ΞΑΝΘ: τοῦτο; λίμνη. ΔΙΟΝ: νὴ Δία,
αὕτη 'στὶν ἣν ἔφραζε, καὶ πλοῖόν γ' ὁρῶ.
χωρῶμεν ἐπὶ τὸ πλοῖον. ΧΑΡ: ὠόπ, παραβαλοῦ.

[Coniect. Ritschelii.]

II. Aristoph. Acharn. versus 204—236 Arnoldtius [Chorpartien bei Aristoph. p. 40] perperam inter singulos choreutas distribuisse videtur. Inter chorum et coryphaeum eos censeo distribuendos esse hoc modo: Coryph.: V. 204—207. Chor.: V. 208—218. Coryph.: V. 219—222. Chor.: V. 223—233. Coryph.: V. 234—236.

III. Sophocl. Antigon. versus 770—71 eiciendos et versum 769 hac ratione credo esse emendandum: *τὴν δ' οὖν κόρην τήνδ' οὐκ ἀπαλλάξει μόρου.* [Coniect. H. Keckii ined.]

IV. Horat. Satir. I, 3, vers. 7—8: modo summa voce, modo hac, resonat quae chordis quattuor ima Kruegerus [Edit. Satir. et Epist. Lips. 1866] perperam interpretatus est. Recte se habet Doederleini [Edit. Satir. Lips. 1860] versio: Bald in den höchsten Tönen und bald in den tiefsten des Tetrachordes der Lyra.

V. Lys. XIII. 37 lectionem codicum: *τὴν δὲ ψῆφον οὐκ εἰς καδίσκους ἀλλὰ φανερὰν ἐπὶ τὰς τραπέζας ταύτας ἔδει τίθεσθαι, τὴν μὲν καθαιροῦσαν ἐπὶ τὴν ὑστέραν* probandam et servandam esse censeo, quamquam plurimi viri docti corruptelam latere contenderunt.

Vita.

Natus sum Fridericus Clausen, a. d. VIII. Cal. Jan. an. hui. saec. LIV Vossbergi, qui est vicus prope urbem Husumensem situs, patre Friderico, matre Christina e gente Paulsen. Fidei addictus sum evangelicae. An. hui. saec. LXVII, cum agerem annum aetatis decimum tertium, me recepit gymnasium Husumense, quod tum florebat rectore Gidionsen nunc floret rectore Henrico Keck Post septem annos in eodem gymnasio maturitatis examine perfunctus vere an. hui. saec. LXXIV commigravi in universitatem litterarum Tübingensem ibique per unum semestre interfui scholis v.v. ill. Teuffel, Schwabe, Herzog, Keller, Kugler. Deinde Lipsiae per tria semestria me docuerunt v.v. ill. Ritschl, Brockhaus, Curtius, Overbeck, Zarncke, Biedermann, Fritzsche, Hermann, Heinze, Hirzel, Gardthausen. Aestatem an. hui. saec. LXXVI valetudine affectus domi consumere coactus sum. Ab autumno vero eiusdem anni usque ad autumnum an. hui. saec. LXXVIII Kiliae audivi v.v. ill. Forchhammer, Thaulow, Luebbert, Pfleiderer, Pfeiffer, quibus omnibus viris illustrissimis hoc loco occasione data ex animo gratias ago quam maximas. Etiam seminarii et philologici et germanici exercitationibus interfui per illud temporis spatium. Ab autumno an. hui. saec. LXXIX usque ad autumnum anni insequentis Slesvici militiae officium praestiti.

Index.